APOLOGIA

DOCTISSIMI VIRI

Rogeri Aſchami, Angli,

pro cæna Dominica, contra Miſſam & eius pręſtigias: in Academia olim Cantabrigienſi exercitationis gratia inchoata.

Cui acceſſerunt themata quædam Theologica, debita diſputandi ratione in Collegio D. Ioan. pronunciata.

Expoſitiones itèm antiquę, in epiſtolas Diui Pauli ad Titum & Philemonem, ex diuerſis ſanctorum Patrum Græcè ſcriptis commentarijs ab Oecumenio collectę, & à R. A. Latinè verſę.

Excuſum Londini pro Franciſco Coldocko.

An. 1578.

1577

APOLOGIA

DOCTISSIMI VIRI

Rogeri Alchanel Angli,

pro cœna Dominica contra Mul-

¶ ILLVSTRISSIMO AC NOBILISSIMO DOMINO, D. ROBERTO DVDLEIO, LECESTRIAE COMITI, BARONI DE DENBYGH, ORDINIS TVM SANCTI GEORGII, TVM S. MICHAELIS EQVITI AVRATO, REGIAE MAIESTATI A SACRIS CONSILIIS, EQVORVM MAGISTRO, ACADEMIAE OXON. CANCELLARIO, MAXIMO LITERARVM LITERATORVMQVE PATRONO, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

HAS DOCTISSIMI VIRI Rogeri Aſchami lucubrationes Theologicas, nunc primùm collectas & editas, gratitudinis ergô, debitiq; officij ratione E.G. dedicat conſecratq;.

In Symbolum Gentilitium

Honoratissimi Domini, Comitis
Leicestrensis.



PArrhasis an' hæc est Arctos, quam voluit Olympus,
Et sequitur tardus rutilanti luce Bootes?
An potius Cynosura breui quæ vertitur orbe,
Iàm spatio, quàm luce minor, sed certior vsu?

Parrhasis

Parrhasis hæc non est, Cynosura Leceſtrius vrſus
Hic dici meruit, claro nam nobilis ortu
Clarus ab Arthallo, qui primus geſſerat vrſum,
Perpetua proauûm ſerie, per nomina magna,
Belmontes veteres, Mandudos, atq; potentes
Beauchampos vênit, tandem Dudleïus vrſus
Vt ſiet, vt poſſit Cynoſura Leceſtria dici:
Altera nam nobis Cynoſura Leceſtrius heros.
At Cynoſura polo ſplendet contermina ſummo.
Iſte micat terris, & quòd vel tradere virtus
Poſſit, vel ſummi concedere ſplendor honoris,
Culmen vtrumq; tenet, ſummo quaſi cardine fulgens.
Aſt dux nocturna eſt Tyrijs Cynoſura carinis.
Hic dux perpetuus, Cynoſura Britanna Britannis.
Ingenijs patefecit iter, deſpectaq; Muſæ
Hoc duce colla leuant, meritis et præmia ſperant.
Semper inoccidiuis ſtellis Cynoſura refulget.
Semper inocciduo noſterq; micabit honore,
Occaſumq; pati neſcit, nec cedere ſede.
Quæ virtus fulcit, non occaſura reclinant.
Septenis ſtellis micat at Cynoſura polaris.
Septenis etiam micat hic virtutibus Heros:
Iuſtitiâ degit iuſtus, Sapientia cautum
Reddit, Relligio ſanctum, Conſtantia firmum,
Temperies caſtum, Pietas comitaſq; benignum.
Hinc, (præclare Comes) ſpretis ſpes vnica Muſis,

Granta tuus librum squallore, situq; sepultum
Eruit, & vobis deuota mente sacrauit.
Quem tuus Aschamus conscripsit Apolline dextro,
Aschamus nitidus, Ciceroq; secundus & alter.
Accipe tu lætè, sis tu Cynosura libello:
Dum micat astrigero Cynosura polaris Olympo,
Fulgeat hæc nobis Cynosura Lecestria terris.

BENE-

¶ BENEVOLO Lectori.

EXercitationes illas Theologicas (Humaniſſime Lector) quas R. Aſchamus olim & acutè excogitauit, & ornatè conſcripſit, à me collectas, & tibi in prima eius Epiſtolarum æditione promiſſas, nunc tandem, poſt duorum ferè annorum ſpacium, cùm Bibliopôlæ importunitate victus, tùm Aſchami ſtudioſorum precibus commotus, Typographorum fidei imprimendas tradidi. Iucundę ſanè ſunt, eruditæ, & piæ: & dignę etiam, ſi Apologiæ cenę Dominicę extrema manus acceſſiſſet, quæ a me, ad maximam Aſchami laudem, ſtudioſè commendarentur, & a te diligentèr, ad tuam magnam iucunditatem, perlegerentur. Quæ, licèt in quibuſdam locis mutilæ & imperfectæ

tæ ſint, dignitate tamen ſcribentis, & orationis ſuauitate tàm ſunt preſtantes, vt nec me, qui eas collegi, & nunc in apertum profero, ſuſcepti laboris mei pæniteat: nec tu, qui eas recipis, deſpicere aut aſpernari debeas. In tuam ſolius gratiam in lucem apparent, vt tu (candide Lector,) qui alijs eius opuſculis legendis diſtinêris, hoc etiam Aſchamicarum exercitationum genus deguſtares, aliaquè haberes, quę nunquam antea viſa ſunt, eiuſdem laboris et ingenij monumenta, ornata nouâ formâ, conueſtita aliâ materiâ, quibus ipſe te legendo delectares.

Inſtituit ſingula Decalogi præcepta eadem tractandi ratione percurrere, & in ijs peragrandis, vniuerſas priuatę Miſſę preſtigias referare: ſed aliis fortè impeditus laboribus, grauioribuſquè implicatus exercitiis, à literarum otio, cui ſe totum tradiderat, abſtractus: et ab his ſtudiorum exercitationibus, in quas ſe aliquot dierum ſpacio penitùs fixerat & abdiderat, ad Aulica (vt ego exiſtimo) negotia, inſtituendamquè

damquè D. Eliz. auocatus, huic exercitationi fastigium aut non omninò impoſuit, aut impoſitum infœliciter amiſit.

Habes igitur inchoatam, ſed (proh dolor) non ad finem perductam eius pro cæna Dominica defenſionem. Quam qnidèm primùm nititur authoritate & exemplis Scripturæ confirmare: deinde conſilio & monumentis Patrum communire, & firmis corroborare rationibus, Miſſam hanc Mimicam & Hiſtrionicam non eſſe cęnam Dominicam. Poſtremò, quò certis quibuſdam hunc latiſſimum diſputationis campum, in quo Miſſæ ſcelera exprimere conatur, circundet finibus, Decalogum ſibi percurrendum proponit, quẽ ſic per priora eius (vt vides) prȩcepta tractat (cętera enim deſiderantur,) vt Diaboli vim & tyrannidem apertè prodat, priuatę Miſſę fraudes, dolos, latebras, aliaquè vana eius deliramenta doctè reſeret, & nebuloſam illorum temporũ caliginem lepidè diſcutiat, humanæ doctrinę tenebras

nebras fusè dispellat, inertemquè ignorantium sacerdotum turbam acritèr pungat & peramarè insectetur. Nec immerito. Missa enim non vnam noctem, sed tenebras multorum seculorum: nec domicilium vnius hominis, sed imperium totius orbis, multiplicibus fraudibus, imposturis, fascinationib⁹ latrociniisq; infestauit. Nec viles, simplices, & imperitos solùm, sed potentes quosq; & astutos, fefellit, fascinauit, expilauit. Et quid non? Nam quotusquisq; vnquàm fuit, tam rapax bellator, tam tenax mercator, tam versutus fœnerator, tam auarus senex, tam restricta anus, etiamsi probè nouerunt alios homines spoliare, fallere, & expilare, quin hos omnes Missa spoliauerit, deceperit, & expilauerit. Et quid ita? Quia nulla vnquàm extitit tam proiecta libido, tam eminens scelerum vis, quæ in Missæ sanctimonia securum & certum Asylum non habuerit. Sed quid plura? R. Aschamus satis amplè Missę huius ineptias, fucos, fraudes, tenebras, & delramenta persequitur, fusiùs pertractatu-

tractaturus, si hanc tractatiunculam perfeciſſet. Habes quę ſunt inuenta & conſeruata, reliqua quæ deſiderantur, potius dolenda quàm ſperanda ſunt.

Alias exercitationes, quas ille partim ſe exercendi gratia, partim debito diſputandi officio vel priuatim in cubiculo conſcripſit, vel publicè in Collegio pronunciauit, huic adiunxi Apologię: themata nimirùm Theologica, aliaſquè antiquas expoſitiones Latinè verſas à R. Aſchamo. Quas eò libentiùs collegi & adiunxi, quòd illę ipſę exercitationes mihi videntur aliquem ſequi florem orationis, & magnam ſcribentis redolêre pietatem.

Accipe igitur, (candide Lector) & eo animo accipe has Theologicas exercitationes, quo antea acceperis Latinas epiſtolas, & reliqua eiuſdē pererudita opuſcula. Et non laborem meũ, qui in his colligendis & conſeruandis minimus fuit, reſpice: ſed voluntatem meam, quæ in te maxima eſt, & erit perpetuò paratiſſima, humanitèr amplectere. Vale.

TERENTIANVS MAVRVS.

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli.

Errata, quæ collectoris absentia exciderunt, sic corrigenda.

Pag.14.linea.2.deest vinculum.Pa.26.lin.12.leg.ſuſpicione.Pa.42.li.2.ſi,ſic.Pa.50.li.22.omnes,oues.Pa.63 li.7.nobiliſſimę principes.P.71.li.3.vituperationem.Pa 85.li.16.corpore,corde.Pa.102.li.17.repellam.P.143 li.8.propterea,propheta.Pa.155.li.tam tantũ.Pa.296. li.25.ſcriptione,prę ſcriptione. Pa.219.li.12.adiectio, adiectum.Pa.256.li.25.puram,purũ. Pa.270.li.17.ſecundum,ſeculum. Pa.281.lin.16.annumerandam. Pa. 293.li.17.ad res ſerias.

Pag.63.li. 2. ἰδίας ὄσιας. Pa.94.li. 16. ὀφὶλοσοι.eâdem.λειτουργουντες.

Cætera(quæ nulla penè ſunt)ſtudioſus Lector facilimè emendabit.

¶APOLOGIA

Rogeri Aschami, pro cæNA DOMINICA, CONTRA MISSAM ET EIVS PRAESTIGIAS.



EVS PATER *serpentem Diabolum affatus, graniſſimi patres, & viri doctiſſimi, minitatur illi inimicitias mulieris, minitatur etiam ruinã per ſemen illius, addens graue certè nobis & acerbum hoc dictum, Et tu inſidiaberis calcaneo eius. Diabolus ſanè hoc dictum & tùm capeſſit, & ex eo tempore paratus ſemper & promptus idẽ vrget, Euam nouit, & nos figmentum Euæ etiam cognouit, muliebrem noſtrum aſſenſum in fraudem illicere didicit. Fraudem illius Deus explicat, Inſidiaberis inquiens: inſidias verò non apertas & quotidianas, ſed tec-* Gene. 3.

tas & lutebroſas tẽdit. Inſtat, vrget, circũſpicit, itq́ reditq́, verſat ſe in omnes partes, malum bonum, & bonum malum, lucem tenebras, & tenebras lucem ponit, opere ſemper moliens, & animo ſemper iactans antiquum illud ſuum, In cœlum conſcendam, ſimilis ero altiſſimo, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium, & ſedebo in monte Teſtamenti. Inſidias infinitas quas Diabolus ſtruxit omni humanæ ſocietati, antè legem, pòſt legem, ſub gratia, naſcente iàm Eccleſia Chriſti, nunc influens in omnem carnem cum voluptatibus & multiplicibus illecebris, nunc furibundus ruens in omnem Tyrannidis libidinem, cum diris tormentis aſperimiſq́ ſupplicijs, nimis longum eſſet recenſêre: noſtra tempora nos hoc tempore deplorâre inſtituimus, in quibus Diabolus omnes inſidias comparauit, omnes vires ſuas & totum ſeſe effudit ad obruendam nauem Ieſu Chriſti. Ad quam rem Diabolus nauclerum idoneum, aptos remiges, inſtructos nautas, ſingularem artem, parata κελεύσματα *adhibet. Princeps nauarchus Diabolus, nauclerus Papa, remiges Epiſcopi perſonati, nautæ infini-*

Eſa. 14.

Diabolus obruit nauẽ Ieſu Chriſti.

Diabolus Nauarchus.
Papa Nauclerus.
Epiſcopi perſonati Remiges.
Sacrifici Nautæ.

infiniti Sacrifici, ars humana doctrina, περιττὰ supererogatiua merita. Diabolus Deum è throno Testamenti remouêre studet, Papa Christum à clauo abigit, Episcopi piscatum eunt. Quid piscantur? homines? vèl aduersarij iudicent. Sacrifici velis remisquè incumbunt, humana doctrina, recluso verbo Dei, sola ferè malos scandit, per foros cursat, proram & puppim regit, anchoram figit, & quid non? Cum humanam doctrinam dico, non leuem, sed rem summi momenti dico. Diabolus hanc rem summa prudentia, summa iustitia induit, vt Paulus disertè explicat. Itáquè quo sapientior quis est, quo sanctior, quo modestior, quo iustior, quî doctrinàm aliam inducit, aut inductã defendit, quàm quæ Christi doctrina comprobâri potest, is profectò Diaboli nauta est, ad submergendam nauem Iesu Christi. Qui existimat Diabolum imperitum quẽdam esse in delectu suorum habendo, imperitus ille est: Diabolus enim non stultos & idiôtas, non leues & præcipites, sed prudẽtes & doctos, cõstantes & graues, & iustos ad sua munera obeunda accersit. Ne-

Humana doctrina.

Colos. 2. Cor. 2. 11.

Diaboli nauta quis.

Astutia Diaboli.

q̃ hic verã prudentiã & doctrinã in vituperationẽ adduco, nec vllius vitij patrocinium ſuſcipio, ſed Diaboli fraudẽ oſtendo, & eorũ hominum, qui ſuam iuſticiam, & doctrinam, non Ieſu Chriſti, vel libidine propugnant, vt Papiſtæ: vel commodo quærunt, vt impij: vel metu ſequuntur, vt frigidi: conatum, ſtudium, & voluntatem omnem reprehendo. Sed ad nauem noſtrã reuertamur. Chriſtus hos hoſtes inuaſuros in nauem ſuam longè ante præuidit, & armaturam integram in vſum ſuorum cõparauit. Verùm quò lapſi prouiſio Chriſti eſt? Arma noſtra, aut ablata, aut recondita, aut contuſa iacent. Iugulum veritatis diſrupit hypocritica vanitas, loricam iuſticiæ fregit ſcelerum improbitas, calceos pacis Euangelij ademit ſuperſtitionis ſecuritas, ſcutum fidei rupit viliſſima operũ dignitas, galeam ſalutis excuſſit innumerabilium humanorum dogmatum tempeſtas, gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, extorſit humanæ doctrinæ vis ac Tyrannica poteſtas: præterea à orationem, magnam partem ſuſtulit inanis labiorum iactatio, ieiunium obſcurauit dierum & ciborum

Ephe. 6.

Fructus Papiſmi.

ciborum vana ac demoniaca (vt inquit Paulus,) obseruatio. Pro crucis afflictione, impia intrauit signaculi crucis adoratio. Pro hymnis, quibus mente & corde psalleremus Deo, inutiliter modificata symphonia, & nimis mollis ac delicata, sine intelligentia, vocis inflexio. Pro Dei operibus, viuis & veris illius imaginibus, in quas nos intuentes & defixi, æternam Dei maiestatem incomprahẽsibilem esse monemur, vana artificis simulachra, in quibus nihil, nisi quod corporeum & concretum est contemplantes, corpoream Dei effigiẽ, id est, abominabile idolum ob oculos ponere, & coniectura fingere ac informâre docemur. Pro egenis pauperibus à Christo missis, vt in illis nostram ergà Deum pietatem & studium ostenderemus, splendidæ & sumptuosæ sanctorum imagines, vt precibus, donis, & oblationibus, eorum opem & gratiam imploraremus. Pro bonis operibus, quæ coram hominibus lucêre debẽt, in subleuandis hijs tenebris horum miserorum temporum, vt glorificetur Pater qui est in cœlis, accensa in templis luminaria, & id in splendore solis, vt sancti, qui Tit. 1, 4.

ſunt in cœlis, clariùs cernant noſtrã ſtultitiam in terris. Pro dono linguarum & eruditionis ad ædificationem Eccleſiæ, non intellectus labiorum ſtrepitus, & turba ignorantium ſacerdotum, telluris inutile põdus, ad magnam offenſionem Dei. Pro manifeſta declaratione verbi Dei, in aperto loco, vt cognoſceretur veritas, ſecretæ cantiones, & peregrinæ murmurationes in cancellos quoſdam concluſæ, nè perciperetur vanitas. Atq; vt totum Papiſmum in vnum aceruum aggregem, pro recto miniſterio ſacramentorum, & verbi Dei, externum & Iudaicum ſacerdotium ſine vllo teſtimonio Scripturæ introducitur. Poſtremò, pro ſacroſancta Domini noſtri Ieſu Chriſti cœna, in qua corpus & ſanguis Chriſti cum gratiarum actione diſtribuuntur communicantibus in memoriam eius, Miſſa papiſtica, in qua ſuperſtitio & idôlolatria cum Mimicis & hiſtrionicis præſtigijs proſtituuntur ſpectantibus ad quæſtum lucri.

Nauis Chriſti his mercibus iàm onerata eſt, de quibus vniuerſis cùm libentèr diſſererem, hoc certè tempore ſatis pro digni-

dignitate, vel potius pro indignitate taliũ rerum non possum, delegi igitur mihi hunc postremum locum, vt pro cæna Dominica contra Missam dicerem, cum cæna sit redemptionis & totius salutis nostræ sigillum & monumentum: Missa verò (vt verissimè loquar) omnium malorum Ilias, ac omnium errorum Odyssea. Quantum beneficium Christi hæc impia Missa nobis abstulit, cùm cænam abstulit, nec mente comprehendi, nec oratione declarari potest: dicam tamen aliquid, licèt non satis ad dignitatem tantæ rei, satis tamen & plusquam satis ad deplorationem tantæ iacturæ & dispendij. In cæna enim quid authore sublimius, quid re diuinius, quid vsu præstãtius, quid fine exoptatius esse potest? Author Christus est, res Christus, vsus Christus, finis Christus, omnia Christus. Alterius rei quantũuis diuinæ institutionem cum cæna Dominica compara, & vilescunt statim vniuersa. Iactet Circumcisio Abraham, Lex Mosen, Baptismus Ioannem, & aliæ res Angelos suos: at sola cæna solum agnoscit Christum. Et hoc authore, licèt maximo, ipsa tamen volun-

Institutum authoris.

Cena Dominica salutis nostræ sigillum.

Missa omnium malorum Ilias.

Cænæ author, res, vsus, finis, est Christus.

Sola cæna solum agnoscit Christum.

tas & oportunitas authoris in hac re conſtituenda quodam modo maior exiſtit. Minimis verbis, maximam rem ſi non complectar, attingam tamen. Peccauit Adam, damnauit Deus, morieris inquiens: ſententia Dei tàm dura eſt, vt lamentâri homo nõ tollerâre: tàm iuſta, vt mirâri non conqueri: tam rata, vt deſperâre non reuocâre illam potuerit. Vbi iaces nunc homo? Quò demiſſus es? Vitam amiſiſti, mortem induxiſti, regnat peccatum, furit Diabolus, minatur iuſticia, auertit ſe Deus. Vbi iaces nunc homo? vbi ſpes ſalutis? in vllo homine? At filius iræ omnis homo eſt, horret faciem Dei. In Angelo? At ille ipſe opus habet nexu aliquo, quo ſolidè cohæreat Deo. In ſolo Deo? At Deus propter diuinitatem, ſententiam mortis ſubire non poteſt. In ſolo homine? At licèt homo moriatur, vt deſtruat mortem, nihil habet tamen quo reſtituat vitam. Attende nunc quomodo dico iudicibilem bonitatẽ Dei, filius Dei vnigenitus intuetur in hoſtẽ, & miſeretur vt amici: relinquit quodammodo Patrem, & cœlum, vt viſat hominem & terram: ſuſcipit omnem humanam

Attende.

nam infirmitatem, vt transfunderet homini suam potentiam: miserum se reddit, vt te beatum efficiat: perdit se, vt inueniat te: tradidit se morti, vt te restituat vitæ: mortem tolerauit humanitate, vt hominem moriendo a sententia Patris liberaret: & vitam reparauit dignitate, vt hominem resurgendo beneuolentiæ Patris reconciliaret. ô Altitudo! vt cum Paulo clamemus. At eccè altius quiddam, si potest fieri, mors iàm deleta est, vita restituta est: & totum beneficium Christi est. Sed vndè hoc scimus verum esse? vndè certi sumus? vbi promissio? vbi sigillum quo hoc beneficium nobis consignatur? Eccè Christus ea nocte qua traditus est, iàm iàm moriturus, hoc est, rem humano generi expectatissimam effecturus, sedit cum discipulis suis, vt testamentum suum conderet, vt bona sua legaret. Quid legauit? Regna mundi, & diuitias non legauit, quia non habuit: non habuit, quia contempsit. Quid habuit? Corpus habuit, quod traderet: sanguinem habuit, quem funderet: dat corpus, dat sanguinem: clarioria ille dâre,

maiora nos expectâre non potuimus. In sanguine, pretium redemptionis quod solueret: in corpore, beneficiũ viuificationis quod daret. Dat ille, & iubet nos vt accipiamus: Quid, vt reseruemus? Ille hoc non docet, vt erigamus ad aspectum, vt circumferamus ad adorationem, hoc tu dicis optimum. Caue quid dicis homo, & caue magis quid facis, & caue maximè quid defendis. An tu prudentior Christo? An ille non fecit quod erat faciendum? An ille ignorauit quid melius esset faciendum? Viam ipse ostendit, tu sequere, & aliã nè quæras. Si eius via optima est, cùr in peiores te trudis? Si eius via rectissima est, cùr in deuia deflectis? Si mandat Christus, vt eius sequaris vestigia, cùr tu citrà mandatum eius in hominum deflectis diuerticula? Quid habes homo quod respondeas Deo? Iubet Christus vt accipiamus, iubet vt comedamus & bibamus: negotium hoc non dentis, sed mentis: nõ stomachi, sed fidei existit: præparet se animus tuus, & ritè sequetur corpus tuum. Cùr comedemus, cùr bibemus? vt Christi toti simus, vt facti ossa ex ossibus eius, in

Christi

Christi corpus coalescamus : & hoc non solùm spirituali quadam gratia coniuncti, sed naturali etiam & corporali participatione coüniti. Quomodo hoc fieri potest, ratio non inuenit : quod autem ita sit, fides facilè intelligit. Quid comedemus? Quid bibemus? Si oculum tuum interrogas, respondet, panis: si linguam tuam interrogas, respondet, vinum: & verè respondent. Nam quod videtur, panis est, vt ait Aug. & quod gustatur, vinum est. Si rationem tuam interrogas, quod sentitur respondet: quod intelligitur nõ aduertit. Si fidem tuã interrogas, illa interrogat Christũ: & quod Christus dicit, fides credit: nec rationẽ ex rebus sensibilibus quærit, sed mysterium in rebus intelligibilibus agnoscit. Si Christũ interrogas Christus docet, & hunc doctorẽ sequere: nã docet cũ sũma authoritate, & discè tu cum nulla dubitatione. Quid das Christe? respõdet, Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus. At quod corpus dicis? Quẽ sanguinẽ narras? Et hîc etiã docẽtẽ Christum libentèr sequamur: Corpus quod pro vobis traditur, Sanguis qui in remissionẽ peccatorũ effunditur. Nõ igitur quærẽdum

Augustinus.

dum aliud corpus ab eo quod traditum eſt, nec alius ſanguis ab eo qui effuſus eſt. Sequamur Dominum, dicentem, Corpus meum traditum, Sanguinem meum fuſum: non ſequamur rationem dubitãtem, qua verba Domini ſui agnoſcere, non ſenſum ſuum fingere debuerat. Quid Deus dat, ſcriptura docet: quomodo verò nos accipere debemus, & eadem ſcriptura docet: Facite hoc in meam commemorationem. Qui cõmemorationem Chriſti leuem rem eſſe putat, & beneficium redemptionis leue quoq; eſſe ducit. Quid Chriſtus fecit pro te, agnoſcas, & gratias agas. Quid Chriſtus vicißim à te requirit, ab illo diſcas, nec alias nouas rationes exquiras. Donum ab eo datum recipe, & modum recipiendi ab eo traditum tuere. Dat corpus ſuum ſemel oblatum, vt tu comedas, non vt tu iterùm offeras: vt accipiatur ſcriptura iubet, vt offeratur ſcriptura non iubet, ſed vetat. Sed hæc in alium locum reſeruabimus. Fructus cænæ Dominicæ ſuperat meam intelligentiam. Si comederimus eius carnem, & biberimus eius ſanguinem, in illo viuemus, & ille in nobis:

Quæſtio eſt de modo!

Iohn. 6.

Fructus Cęnę.

bis: manebimus in eo, resurgemus in eo, & vitam æternam hæreditate in eo possidebimus. Qualis vita nostra esset, si Christus eam totam occuparet? Si mens cogitatione, si lingua sermone, Christum & eius gloriam sapiant: si oculi, manus, & pedes, si singula quæq; membra, nutum & voluntatem Christi expectarent: si singula inquã membra, ad parendum iusticiæ, paratissima sese præberent, nec vllum carnis sensum ad insolentiam, sed intelligentiam spiritus ad obediendum Christo exhiberent, vt tota anima nostra in toto corpore nostro, suauissimum illum versum Dauidis, in omni vitæ nostræ ratione vsurparet: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Psal.102.

Hanc suauitatem vitæ adferret nobis suauissima cæna Dominica: quam diù & multis seculis excluſit nobis priuata Missa papistica. Quemadmodum enim mundo lucem & vitam dempseris, si solem eximas: sic vitam abstuleris Ecclesiæ, si cænam auferas. Et hanc vitam Christus iam in hominibus passim non vidit: sed quisq; in priuatã commoditatem capitur,

quia

quià Missa papistica sustulit cœnam Dominicam, quæ arctissimum omnis Christianæ societatis existit. Ne miretur quis, quòd contrà Missam iàm dico: atq; si miratur, audiat me Christiano animo: nec iudicium iàm factum domo deferat, & desinet, spero, mirari, si vllam aut voluntatis Dei, aut salutis hominis rationem ducendam esse putauerit. Dicimus igitùr, quòd Missa non sit cœna Dominica. Duo libri sunt, qui totam hanc contentionem inter Cœnam & Missam concitarunt: alter est nouum Testamentum Iesu Christi, alter sacerrimum illud Missale sacerdotum: et hi libri per me totam hanc nostram disputationem decîdent. Vterq; liber summam authoritatem habet, sed posterior maiorem apud plurimos reuerentiam. Nam hîc etiam pedem posuit Diabolus, & eduxit meras tenebras in conspectum & vsum hominis, & lucem Euangelij abdidit in abstrusam & infimam conditionem. Et ego ipse audiui in hac Academia, Theologum magni nominis dicere, se malle sequi errores in Missali, quàm loca emendata in nouo Testamento. Missale

Missa non est cœna Dominica.

Nouum testamẽtum Iesu Christi.

Missale sacerdotum.

Missale.

sale intueri religio est: cæcitatem minatur inspectantibus: & facilè. Credo, nam occæcauit magnam partem sacerdotum, & ferè vniuersum mundum. Lux verbi Dei fuit in mundo, sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Verùm, Deo volente, non verebor producere in conspectum hominum hoc Missale Eleusinum, vt admoto lumine Christi, tantæ tenebræ arguantur. Agete ergò, Missam ex Missali vestro producite, ego Cænam Dominicã ex verbo Dei: cõferamus inter se, si nõ, cuius corui ouũ sit, ipsa prodat, cadat causa Cænæ Dominicæ. At priusquã libero pede ingrediar in sacraria Papisticæ Missæ, morem huius scholæ & huius Academiæ sequar: subijciam me doctrinæ & authoritati illi, cui debeo me subijcere: & antè omnia precor Dominum nostrum Iesum Christum, vt splendore verbi sui discutiat, in hac disputatione, omnes nebulas humanæ doctrinæ, vt veritas nec prosternatur fulminibus Pigij, nec deridatur scommatibus Thomæ Mori. Doctrinam illius solùm recipio, qui nouit hanc cænã instituere, & potest eam iterũ resti-

Ioan. 3.

Oratio.

Contra humanã doctrinam.

restituere : humanam doctrinam vt suspectam vniuersam repudio. Suspecta omnis ea doctrina meritò est, cuius author apud Deum mendatij tenetur : Omnis (enim) homo mendax. Et quoniam hic locus postulat, quid sit Deum ducem (vt est in prouerbio) sequi, & in vestigijs humanæ vitæ inhærêre, authoritate & exemplis Scripturæ, consilio & monumentis Patrũ explicabo. At quid facio? Quam disputationem ingredior? An vllus hæret in hac re, vtrum plus Deo an homini tribuamus? De hac re contendet quispiam ? Inaudita quæstio, & inanis disputatio. Audite doctissimi viri, ex animo loquor, & cum ratione loquar : nulla alia contentio est in religione Christiana, quàm, vtrum Deo vel homini consentiendum sit. Subdat se humana doctrina voci Dei, & conticescent omnes lites. Hîc omnes hærent. Sed quam doctrinam, aut cuius hominis doctrinam pertimescimus ? Aristotelis aut Platonis ? non certè : Turcæ ? minime : Principum leges, & gentium iura? neq; hoc quidem : formidamus solùm doctrinã eius, quem Psalmus expressis verbis notat, inqui-

inquiens: *Quoniam si inimicus meus malè mihi dixisset, sustinuissem vtiq;. Et si is qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, Dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Hic est qui tollit se & doctrinam suam supra omne id quod dicitur Deus.* Exemplum da. *Mandat Deus, Non furaberis, Non adulterabis, Non concupisces: mandat homo vnanimis & dux meus, Nõ comedes carnes in die Veneris. Vtrum mandatum altius sedet in conscientia hominis? An furtum? hoc populare est apud aliquos: Adulterium? ludicrum est apud multos: Concupiscere rem alienam? vix agnoscitur peccatum, & quotidianum studium est apud plurimos. Ast quid comedere carnes? Hîc horret conscientia, hîc metu concutitur, hîc Dei vindictam formidat, hæc summa & vnica religio est.* Da exemplum in doctrina. *Doctissimi viri, cum in hanc rem ingredior, inuenio totam doctrinam Papisticam in hoc vnum studium incumbere & conspirâre, vt homo*

Furtum.

Adulterium.

Rem alienam cõ-cupiscere, quid.

Carnes comedere, quid.

& eius doctrina immigret in locum Christi & Euangelij. Nam quid aliud est quàm merita humana erigere contrà gratuitam iustificationem fidei? Et arbitrij humani vires in contentionem committere cum gratia Dei? postremò, quod caput est & vnica Arx, in qua munit se contrà Christum Papa, authoritatem Ecclesiæ cum authoritate verbi Dei comparâre? omnes hæ caussæ sunt vel hominis contrà Deum, vel Papæ contrà Christum. Si hæ caussæ & harum caussarum defensores non fuissent, nec Euangelium cum humana doctrina, nec Papa cum Christo, nec Missa cum Cæna Dominica hoc tempore in Anglia concertaret. Nec profectò mirum est, si hij homines sic faciunt: nam viri Dei, optimo (vt visum est) instituto, humanam inuentionem contrà voluntatem Dei sæpissimè concitarunt. Cur ita? Quià homo & voluntas eius agerrimè subditur voluntati Dei. Exempla Scripturæ hanc rem planam faciunt. Primùm probabimus, quòd solus Deus audiendus sit: deinde, quòd multi sancti viri, etiã in sanctissimis rebus (vt putabant) plus sibi quàm

Solus Deus audiendus.

Deo

Deo tribuunt. Dicit Dominus, Tantum facite quod ego præcipio vobis: quòd dicit Tantum, excludit reliquos, & ipse non dubito satis præcipit. Quid præcipit tantum, & quomodo præcipit tantum? Præcipit vt fugiamus malum, vt sequamur bonum, & hoc tantum est, & hoc satis est. Quomodo præcipit? Per Mosen & Prophetas, vt inquit Paulus: per filium suum dilectum, vt inquit Euangelium. Vox Patris est, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite: Pater nihil aliud loquitur in Euãgelio, vt nos nullum alium sequamur in omni doctrina. Moses & Prophetæ prohibent à malo: & in Iesu Christo solo cognoscimus & facimus bonum: et hoc est tantũ facite quod ego præcipio vobis. Quid est audîre Christum? audîre verbum eius. Tollet hæc res omnes controuersias: audite quid ait Christus: Qui audit verba mea ex Deo est: Qui non audit, ex Deo non est. Per hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris. Ergò, qui nituntur verbo Dei, sequuntur spiritum veritatis: humana doctrina sisi sequuntur spiritũ erroris. Fatemur, inquiũt multi, sequimur verba,

Num. 22.

Matth 17.

Christum audire quid.

ſed ſenſum ab hominibus petimus. ô Generatio diſtorta! quaſi in verbis Chriſti non ſunt ipſa ſenſa Chriſti: aut incertum eſt verbum Chriſti, & certum hominis: fluctuabimus in Chriſto, & conſiſtemus in homine. Petra incõſtans eſt, & arena ſtabilis. Benè eſt, nam niſi ſic dicitis, nil habetis quo hominem contrà Deum ſtatuatis. Iacobus docet aliã diſcendi rationem:

Iacob. 1. Qui indiget ſapientia, poſtulet à Deo inquit. Et ſic patres vetuſtiſſimæ Eccleſiæ cũ precibus ſuis, non cum præiudicatis aliorum ſententijs ad lectionem Scripturarum accedebant. Duo homines ſunt: alter nimis & mordicus ſequitur verbum Dei, alter facilè deflectit in iudicium hominis.

Pſalm. 111. Pſalmus de vtroq; iudicat: de primo, Beatus vir qui in mandatis Domini volet nimis:

Pſalm. 80. de ſecundo, Populus qui relinquit vocem Domini, ibit poſt inuentiones ſuas. Et quare deficiunt a Deo ad hominem? oſtendit cauſſam Chriſtus, inquiens:

Matth. 5. Reijcitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis: hoc conſilium eſt, quod ſanè conſilium, quo maiore pietate & prudentia ſuſceptum eſt, eo euidentius ſignum

eſt

est, quòd à Diabolo totum profectum est. Diabolus enim tales operarios semper habet. Sed audiamus Scripturam. Samuel ait ad Saul, zeloticus Deus est, Deus tuus, nec cum altero quicq̃ communicat. Et hîc obgannit aliquis: Non reges ponent plebiscita? Non episcopi sua decreta? ponent maximè, sed audi, contineant se suis finibus, quod hactenus non fecerunt: nec ingerant sese in officium Dei, vt aliquid addant aut diminuant, nè in grauissimam offensionem Dei, & maximas plagas incurrant: nam de præceptis Dei sic monet scriptura: Quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper, & nouas vias ne scrutatus fueris. Ecclesiast. 3.

Cyprianus Christianæ religionis clarissimum lumen, vehementer inuectus est in hanc caussam, inquiens: Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, vt disposítio diuina violetur. Deus ergò solus in ordinationibus diuinis sequẽdus est. Quomodo homines etiam sæpissimè honesto instituto (vt videtur) relinquunt Deum, & eunt post suas inuentiones, exemplis vtriusquè Testamenti comprobabimus. Po-

Cyprianus christianę religionis clarissimum lumen.

Exod. 32.

pulus Israel, cum consensu etiam Aaron summi sacerdotis, erexerunt vitulum aureũ contrà Dominum. Gedeon, vir Dei, Ephod Domino bono animo consecrauit, quare, magnam Domini offensam sibi cõparauit. Bono animo Saul victis Amalechitis, armentũ in victimã nouam Domini, quã Dominus non præcepit, reseruauit: ob quod facinus, ab imperio deturbatus est. Oza, filius Abinadab, manum admouebat bono animo ad Arcã Domini delabentem, & ad necem a Domino percussus est. Ex nouo Testamẽto, non multa, sed selecta exempla proferam, quæ possunt cõmouere hominem, qui non obduruerit ad vocẽ Scripturæ, vt caueat quid in religione nouum excogitat, quod Deus aperte non præcipit. Et primùm discamus ab omniũ doctore domino nostro Iesu Christo, quòd nihil debemus immutâre quod Deus cõstituerit. Deꝰ pater cõstituit vt Christus moreretur, moriturus Christus voluntate sua humana quodãmodo discrepauit à cõsilio Patris, & propterea orat, Pater mi, si possibile est, trãseat à me calix iste. Si volũtas humana in Christo Iesu visa est declinâre à præscripto Dei,

Iudicum. 8.

Reg. 1. 15.

Reg. 2. 6.

to Dei, vt transeat ab illo calix, quem pater obtulit illi, quã securitatem in aliorum bonorum voluntatibus extrà verbum ponemus? Imo q̃ non licentiam in voluntatibus papistarum contrà verbum pugnantiũ expectabimus? Sed quare Christus hoc dixit? propter se? nequaq̃: sed vt nos haberemus omnem humanam voluntatem suspectam in diuinis constituendis rebus. Quam mentem Christi, si Papa induisset, vt diceret, Non sicut ego volo pater, sed sicut tu vis: & cænam Dominicam ad hunc vsq; diem retinuissemus, & hac Mimica Missa, cuius nè vestigium quidem in scripturis est, hoc tempore caruissemus. Sed persequamur exemplа aliorum. Petrus, bono animo, abscidit aurem Malco: Paulus, honesto instituto, rogauit Dominum vt stimulum carnis sibi auferret: Ioannes, pia mente, prostrauit se ad pedes Angeli: & tamen malè fecerunt. Quare? Quia extra verbi in rebus religionis processerũt. Si Petrus, Paulus, & Ioannes hoc commiserunt, quàm suspectus nobis debet esse quiuis alius homo, qui extra verbum aliquid in religione constituit? Non laudati

Petrus.

Paulus.

Ioannes.

sunt Apostoli, quià sic fecerunt: sed a Deo reprehensi sunt, quia nouum esse excogitauerunt. Si Missa igitur res diuinissima est, in diuinis institutis inueniatur: si illic verò non sit, sed à Diabolo sit introducta, per sentinam Papisticam ad nos deriuata, & cæca cõsuetudine hactenus cõseruata, vt Dominicam cænam de possessione sua deijciat, desinant homines eam defendere: aut armis Christi non Papæ, pro ea, quod nõ possunt, propugnent. Quamobrem, si Missa via hominis est, quod negari non potest, & omnis via hominis, quantumuis recta in conspectu eius sit, extremum tamen eius tendat ad mortem: & cùm Dominus iubet, vt homo non faciat quod sibi rectum videtur: nemo æquus vir putabit me iniquum facere, quòd protestor me repudiâre in hac disputatione omnem humanã doctrinam, quæ nimium semper tribuit humanis inuentis. Solo igitur verbo Dei hanc rem decîdamus.

Missa via hominis.

Prouerb. 14.

Deut. 12.

Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ me etiam subijcio: illa enim semper verecundè & timidè audit vocem sponsi sui, iuxta illud, Oues meæ vocem meam audiunt.

Ecclesia.

Ioan. 10.

Patres

Patres libentèr amplector, & recipio: doctrina enim ex veteri memoria plena antiquitatis, plena dignitatis existit: sed recipio patres, vt ipsi iubent se recipi, hoc est, si contineant se in sua ditione, & non immigrẽt in possessionem verbi Dei. Et hoc docet Augustinus, respondens Cresconio Grammatico, qui nitebatur authoritate epistolæ Cypriani: Ego (ait Augustinus) huius epistolæ authoritate non teneor, quià literas Cypriani non vt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero: & quod in eis diuinarum scripturarum authoritati congruit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius respuo. Et Nic. de Lyra, de Hieronymo dicit: Nec debet aliquis moueri, si ego recedo à dictis Hieronymi, quià dicta sanctorum non sunt tantæ authoritatis, quin liceat sentîre contrarium in his quæ non sunt per sacram Scripturam determinata. Quanquam quomodo patres nostræ controuersiæ iudices esse possunt non video, cum in nullo patre vllum vestigium vestræ Missæ existat. Si quis me ad Quæstionistas, hoc est, ad Papistici regni licentiam, & libidinem

Patres.

Augusſt.

Lyra.1. Matth.

Quęſtioniſtæ.

abducere velit, rationes audiam, nec contemnam, modò illæ ſacræ ſcripturæ authoritatem non contemnant: Ad viuos accedimus, vbì imprimis dedo me, & omnem meam dedico diſputationem iudicio, authoritati, & gratiæ illuſtriſſimi Principis noſtri, Edouardi ſexti, Domini mei clementiſſimi: & hoc facio eo libentiori animo, quòd hic Rex virgo primus omnium noſtræ memoriæ Regum meritò eſſe dicatur, qui ab omni non labe ſolum, ſed ſuſpicatione etiam fornicationis cum meretrice Babylonica purus & integer virgo exiſtat. Dedo me etiam nobiliſſimo Duci Edouardo Somerſettenſi, Academiæ noſtræ Cancellario digniſſimo. Et dedo me huic eruditiſſimæ Academiæ, & iudicijs omnium illorum aſtantium, qui veram cognitionem ex fontibus ſcripturæ, non ex fæcibus humanæ & papiſticæ doctrinæ hauriendam eſſe putant. Propterea, fretus primùm Chriſti ſpiritu, & eius doctrina: tùm Regis noſtri præſidio & gratia: probabo, quòd Miſſa non ſit cæna Dominica. In nouo Teſtamento cæna Dominica à Chriſto inſtituitur: diſcipuli interrogant Chriſtum,

Rex Edouardus Sextus.

Dux Som. Cancel. Cantab.

Academia. Auditores.

Cæna Dominica a Chriſto in nouo Teſtamento inſtituta.

ſtũ, vbi parent illi Paſcha ad comedendũ: Chriſtus oſtẽdit, illi faciunt quemadmodũ præcipit illis Chriſtus, & inueniunt (inquit ſcriptura) quẽadmodũ dicit illis Chriſtus. Noſtri Miſſatores qui neſciũt, non interrogant: qui ſciunt, non faciunt quod illis conſtituit Chriſtus: & propterea, neutri inueniunt, quemadmodum dixit Chriſtus: ſed vtriq; fingunt quod volunt, iuxta illud Pſalmi, Populus qui non audit vocem Domini ibit poſt inuentiones ſuas. Nos cænam ſolã Dominicam agnoſcimus, quæ à Domino in ſcripturis traditur: cuius integra inſtitutio, & partes ſingulæ quomodo ſunt per inuectionẽ Miſſæ violatæ, paſſim in oratione noſtra demõſtrabim⁹. Nunc ad Miſſam omnẽ ſermonẽ noſtrũ cõferemus. Pſal. 80.

Miſſa in Miſſali inſtituitur: actio eius, & ſcena tota qualis ſit, Sacerdotes quotidiè miſſantes declarant. Si æquus iudex legeret Euangeliũ, legeret Miſſale, & quantũ inter ſe diſcrepent, perſpiceret: de hac noſtra controuerſia facile ſtatueret. Si inſpectaret Chriſtum ſedentẽ cũ diſcipulis, cũ tanta humilitate, cũ tanta ſimplicitate, apertũ & planũ ſermonẽ habentẽ, frangẽtẽ panem

Miſſa vbi inſtituta.

panem diuidentem inter ſingulos, & poculum porrigentem ſingulis, præcipientem vt illi etiam ſic facerent, & hoc teſtamentum eius vltimũ ſeruarent, & non tanq̃ Teſtamentarij diminuendo & addendo mutarent: ſi Chriſtum (inquam) hoc ſeriò agentem, ſeriò animo ſuo verſaret, & è regione cerneret ſacerdotẽ noſtratem ſolum proreptantem ex ſacrario ad Altare, & illic ſtãtem ſolum ~ auerſum a populo, cum veſtibus hiſtrionicis, geſticulationibus Mimicis, æmulationibus ſimiacis, & prophanationibus impijs, murmurantem neſcio quid ſibi, dantem ſibi, diſtribuentem ~ ſibi, priuatiſſimè, ſecretiſſimè omnia agentem ſibi, & ſolum omnia deuorantem ſibi: age tu quisquis es, qui noſtratem ſacerdotem cernis, & Chriſtũ in Euangelio vnq̃ contemplatus es, reſponde bona fide, ſi in noſtra Miſſa Chriſtum agnoſcere potes. Reſponderet talis æquus vir certò ſcio, Eccè omnia facta ſunt noua: profectò hij Miſſatores, (diceret) Teſtamentarij ſunt, ſuperadduntdiminuunt, mutant Teſtamentum Domini, vt ſuum inducerent. Si Teſtamentum Domini eſt, quare mutatis? Si

Sacerdos Mimicus.

non

non mutatũ esse dicitis, impudentèr negatis, & impudentia vestra superat scelus vestrum: si mutâre licet vobis, dicitis, vnum verbum, vnam syllabam, vnam literam, imò vnũ mitum a Domino, & quicquid vultis per nos faciatis. Quòd non licet mutâre quicq̃, satìs commouêre vos debuit: quià Testamentum Domini est. Sed quià libentius soletis doctores sequi, quàm sermones Domini, audite quid doctissimus doctor, & sanctissimus pater Cyprianus de non mutanda hac cæna Dominica loquitur: Diabolus enim tùm temporis hanc confusionem miscêre cepit. Ait Cyprianus: Si in sacrificio quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, vtiq; id nos obaudîre & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit, cum ipse in Euangelio suo dicat: Si feceritis quod mando vobis, iàm non dico vos seruos, sed amicos. Et quod Christus debeat solus audiri, pater etiam de cœlo contestatur dicens, Hic est filius dilectissimus, in quo benè sensi, ipsũ audite. Quàre, si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis antè nos faciem-

Cyprian. 20. lib. Epi.

Epi. 3.

Ioannis. 15.

Matth. 17.

ciendum putauerit: ſed quid, qui antè omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Neq; enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem: cum per Iſaiam prophetã

Iſa. 29. *Deus loquatur, & dicat: Sine cauſſa autẽ colunt me, mandata & doctrinas hominũ docentes. Et iterum Dominus in Euange-*

Matth. 5. *lio hoc idem repetit dicens: Reijcitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis. Sed & alio in loco ponit, & dicit: Qui ſolucrit vnũ ex mandatis iſtis minimis, (attendite quæſo, doctiſſimi viri, quid Cyprianus dicit, & quomodo dicit:) Qui (inquit) ſoluerit vnũ ex mãdatis iſtis minimis, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Quòd ſi nec minima de mandatis Dominicis licet ſoluere: quanto magis tàm magna, tàm grãdia, tàm ad ipſum Dominicæ paſſionis & noſtræ redemptionis ſacramentũ pertinentia, fas non eſt infringere, aut in aliud quã quod diuinitùs inſtitutũ ſit, humana traditione mutâre? Nã ſi Ieſus Chriſtus dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei patris, & ſacrificiũ Deo patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui cõmemoratio-*

rationem præcepit, vtiq; ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Hactenus Cyprianus, qui si in illis purioris Ecclesiæ temporibus iustam caussam habuit, tàm vehementèr & tàm acritèr inuehẽdi in Testamẽtarios cænæ Dominicæ: quid si deus nobis de cœlo mitteret nunc Cyprianum, & præter fæces, quibus tunc fædata fuit cæna, totã etiam sentinam Papisticam in eam influxisse cerneret, & licentiam ac libidinem posterioris Ecclesiæ animaduerteret, vbi semper tantũ licuit quantum libuit, tantũ libuit quantum cuiuis Papæ, & indocto Questionistæ placuit: quid diceret Cyprianus? Opinor profectò nescire quid diceret, cum nullum vestigium, non Christi dico, sed nè sui temporis reliquum esse cerneret. Quibus temporibus, & per quos homines, cæna Dominica de possessione sua per Missam deturbata sit, verissimè sciri non potest. Nec mirum est: nam Diabolus non vno seculo, nec vno viro ad tantam rẽ abusus est. Præterea à Diaboli astutiæ prudẽtiores sunt, q̃ vt à quouis p̃cipi possint: puto tamẽ originẽ Missæ, partim ex sacrificijs illis de-

Inuentio Missæ.

demanasse, quæ impij sacerdotes Iudæi suâ prà modũ auxerunt & instituerunt Baal. Contrà hos cultus & sacerdotes clamant omnes Prophetæ, quià præter Dominum & verbum eius instituti sunt. Si comparabimus cũ hijs Papam, & eius contra verbum Christi audaciam, quid nos sentîre, quid existimâre debemus? Si quis dicit Papam nec voluisse, nec potuisse, nec ausum esse nouum cultum fingere, hic certè aut Papam non nouit, aut Papam defendere didicit: Sed Papam relinquamus.

Magna pars Missę ex gentibus profluxit.

Existimo etiam magnam partem Missæ ex Gentibus in nostram religionem profluxisse. Nec Missam solùm, sed ingentem turbam illarum ceremoniarum quoq́, quibus nunc Ecclesia Dei miserè premitur, & in varias contentiones distrahitur: quod facilè colligi ab eo potest, qui in legendis monumentis vetustissimorum Græcorum versatus est. Pro Missa verò sacrificatoria propugnanda hoc verè possum dicere, non tantum ex tota Scriptura colligi posse, quantum ex prima Tragœdia Euripidis, apud quem, Sacrifici cuiusdam hæc verba sunt:

πλῆρες

πλῆρες δ' ἐν χοροῖν λαβὼν δέπας
πάγχρυσον, εἶπεν·
ὦ πᾶτ Πηλέως πατὴρ δ' ἐμὸς,
δέξαι χοὰς μὸ τὰσδε, κηλητηρίους,
νεκρῶν ἀγωγούς·
πᾶς δ' ἐπηύξατ' ἐρατός.

Talthybius apud Euripidem in Hecaba, actu tertio: refert Hecabæ hęc verba Pyrrhi Achillis filii sacrificantis Polyxenam.

Accepto poculo aureo in manibus dixit, Pater mi, suscipe hæc sacrificia placatoria, mortuorum deductoria: & vniuersus populus adstans adprecatus est: & alia quæ sequuntur. Et hoc in gratiam eorum qui aliquam scripturam pro Missa requirunt. De origine Missæ apud alias gentes non tantùm laboramus: quomodo verò irrepsit in Angliam, hoc certò scimus. Augustinus Anglorum apostolus qui nominatur, profligator veræ religionis, & fundator omnis Papisticæ doctrinæ, scribit ad Gregorium Papam, quærens quomodo Missam in Angliam constituerit, cùm tàm multiplices formæ missandi, in Gallia & Italia, extiterint. Gregorius rescribit, vt nec Romanum nec Gallicum morem sequeretur, sed quicquid ille ipse sequen-

Origo Missæ nostrę in Anglia.

Augustinus Anglorum Apostolus.

dum esse duceret. An hij successores Apostolorum sunt? Apostoli interrogabant Christum, quomodo Pascha illi pararent. Apostoli fecerunt sicut Christus illis constituit. Paulus quod accepit à Domino, hoc tradidit Corinthijs: & Gregorius quod Augustinus voluit, hoc tradidit Anglis. Vide Paulum, qui non aliam in Ecclesia viam secutus est, quàm quæ ab ipso Domino præmonstrata est. Vide etiam hunc Gregorium, & hunc Augustinum, qui præcipites feruntur in omnem licentiam condendi & recondendi Missarum vias pro arbitratu suo. Quamobrem, si omnem memoriam colligamus ab eo tempore, cùm Diabolus primùm Corinthijs cænam Domini adimere cepit, (quod innuit Paulus cum ait, Hoc non est cænam Domini comedere. &c.) adhunc vsq; diem in quo nunc viuimus: si consideremus etiam, non solùm Augustini factum, sed omnem illam etiam incredibilem libidinem Papistici regni, sub quo Diabolus vetus odium, & nouũ ladendi studium exercuerit, mirum profectò non est, si aliquis Anglus hodie hanc Pauli vocem vsurpet, Iam non est Cænam

Domini

Domini comedere in Anglia, quoniam eius in locum irrepsit idôlum priuatæ Missæ papisticæ.

De nomine Missæ multi nimium, nemo satis ad certam eius explicationem dixit. Missa Syrorum verbum est, ab Hebræis rarò vsurpatum, tributum populi: nec ineptè, in initio, hoc nomen cænæ Dominicæ attributum fuit, propter preces & laudes, quæ sunt vectigalia piæ mentis. Missam etiam Latini sibi vendicant, à dimittendis Cathecumenis, vel dimittenda plebe cum res peracta est, & sic Cicero aliquando, missus Senatus est. Missa missus cœlestis, hoc est, ferculũ cœleste. Missa, quià minister mittit preces: vel Missa, quià Christus factus hostia iàm à sacerdote, mittitur per angelum quendam ad Patrem, vt pro nobis intercedat: sed hoc scholasticum & impium est. Et vide licentiam hîc nimis effluentem Missariorũ nostrorũ: nam nolunt volunt ostendunt, quod sacrificiũ in Missa sua intelligunt. Habẽt in suo libro Missali, imaginem sacerdotis missantis: sacerdos eleuat puellum nudum suprà caput per talos & imos pedes, puellus Nomen Missę.

veluti saltans suprà digitos sacerdotis, καὶ ἀερροβατῶν, *& illic pendulus supplices manus tendit Patri sedenti sublimi in cœlo. Si Diuus Augustinus cũ lucerna verbi Dei hanc imaginẽ examinaret, quid diceret? Imò quid nõ piceret? Sed respõdet aliquis, Quid nobis cũ pictoribus atquè Poetis? Nihil dicit. Nam cum consilio Missariorum hoc factum est, & iàm silentio ac consensu illorum idem comprobatum est. De Missæ nomine satìs, sed adiungam etiam meam sententiam. Vocatur iam Missa, quià digna est vt omnes eam missam faciant : vos rem ipsam, non nomine, quod olim habuit : sed pondere scelerum, quæ Missa nunc inuexit, Missam penditote. Si vetustas nominis res deprauatissimas commendaret, recipiantur quietè hostes inuadentes in Rempublicam, quià nomen hostis plausibile apud maiores nostros fuit Cicero docet. Quid vituperemus fures aut furtum, cùm olìm fures & famuli idem essent ? Et apud Thucididem, placidè homines interrogantur, sint-ne fures vel mercatores. Sed quoniàm hostes & fu-*

Aschami sententia de Missa.

Cic. officiorum. 1

Thucid. 1.

res

res non solùm non constiterunt in abusu nominis, sed prolapsi sunt in apertum scelus : licèt nomen vetus obtinent, nouum tamen odium apud omnes commerentur. Et quod quidam hodie honesti, sed nimis tepidi dicunt : Agnoscimus abusus in Missa, nùm igitur tolletur Missa? Omnes abutũtur sole, nùm igitur tolletur sol? Nihil est quod dicunt. Nam scelera Missarum hoc nomen abusus non capit. Non constitit in abusu Missa, sed effudit se contrà Testamentum Domini. Pro sole respondemus. Sol est clarissimum donum Dei : boni vtuntur bene, mali abutuntur malè. Sed quid nunc? Si quis eam potentiam haberet, vt tolleret e mundo solem, & in eius locum reponeret vel candelam, vel viridem (vt vulgus loquitur) caseum, & id quicquid esset, nomine solis appellaret : quis ferret? quis toleraret? Aristoteles diserte (vt omnia) docet, in rerum vsu & tractatione has quatuor res sæpenumerò consequi, γένεσιν, χρῆσιν, ἀποχρῆσιν, φθοράν, ortus rei, vsus, abusus, interitus. Exemplum rem ob oculos ponit. Nummus regius

Abusus nullus in Missa.

 cuditur,


cuditur, & hic ortus eius est, boni vtuntur ad commoditatem, mali abutuntur ad libidinem: perditissimi recudunt suo more, & adulterinum faciunt, & ad tempus nomen regij nummi habet, cum nihil minus quam regium sit: sic Missa habuit ortum suum, habuit vsum, perpessa est abusum, nunc tota adulterina est, faciem & figuram cœnæ Dominicæ nullam retinet. Itaq; si illustrissimus Iosias noster Numularij periti officium susciperet, & vocaret ad se hos Missatores, quæreretq; ab illis vbi sint charactêres illi & formæ quibus Missa illorum cuditur, & iuberet vt proferant in conspectum: intelligite quid dico, si non charactêres Missarum, quas venditant, a Papa & ab homine formari deprehenderêtur, subiiciat me Rex cui vult supplicio. Vide impudentiam Missatorum, adulterinas Missas suas exponunt: si quis vir cautus & circumspectus dubitet de figura, an sit Dominica, exclamant Missarij, Regium nummum contemnit: tùm miser ille non audet frangere, non audet penitùs intueri, & ita non potest probâre, nec audet dicere quod verum esse nouit: & sic

Missa-

Missatores nunquam probant Missam suam esse bonam, sed compellunt reliquos vt taceant, nec dicant eam esse malam. Verùm si Rex quæreret ab illis, quare sic soli missant, & per quod præceptum Domini, offerunt illi, & comedunt reliqui: per quem scripturæ locum applicant mortuis: profectò, aùt Papam & eius doctrinam defenderent, aut nihil omnino dicerent. Precor Dominum nostrum Iesum Christum, vt Rex Edouardus noster cogat eos probâre esse bonũ quod alijs imponunt, nec improbẽt alij quòd male faciũt: sed probẽt ipsi Missatores quòd benè faciunt. Et tantum de nomine Missæ. Missa diuiditur in quatuor species: inuitus facio (doctissimi viri) quòd iàm implebo aures vestras meris inanitatibus: sed patienter tolerate: nam doctrinam Missatorum, quam illi docent, audietis.

Species Missę quatuor.

Diuidunt Missam suam hoc modo, in has quatuor species.



Missa

Missa etiam diuiditur in partes suas.

Partes.
- Essentiales.
  - Officium.
  - Psalmus.
  - Kyrie eleeson.
  - Collecta.
  - Epistola.
  - Graduale.
  - Versus.
  - Euangelium.
  - Offertorium.
  - Secretum.
  - Canon.
  - Post-communio.

  Semper enim hæc insunt omni Missæ.
- Accidétales.
  - Gloria Patri.
  - Gloria in excælsis.
  - Sequentia.
  - Alleluya.
  - Tractatus.
  - Credo.
  - Eleuatio.
  - Pax Domini.
  - Benedicamus Domino.
  - Ita Missa est.

  Aliquando adsunt, aliquando absunt, præter Missæ corruptionem.

At clamat Missator aliquis: An non hæc verba Domini sunt? An non ex ipsa Scriptura collecta? An non omnia ad veritatem, ornatum, & decus comparata? ô diabolicam astutiam, qui semper transformat se in Angelum lucis! Quid est hoc Transformat? Formam & venustatem semper induit, nec vulgarem, sed

cum Deo semper communem, vt sensus hominum inanes verbi Dei decipiat. Si Missa sponsam Christi spoliat, ornamentis Scripturæ sese decorat, vt se pellicem Cana dominicæ efficiat: ōnes pellices ita faciūt, gestiunt incedere spectabiles ornamentis veræ matronarum. Sed lasciuiam & scortationem Missæ in alio loco melius demonstrabimus: interim tamen, vide hæc ipsa ornamenta, quibus se iactat & ostentat Missa, quanta insolentia, quanta libidine hijs abutitur, vt nulla syllaba verbi Dei in tota Missa existat, quam non vitiat & adulterat vel peregrina lingua, vel mollis symphonia, vel inanis gesticulatio, vel secreta murmuratio. Et tamen, si Missa habet aliquem fucum quem venditet, in hijs extremis quasi vestibus eius cernitur: nam si interiora Missæ penitremus, si cordis sedem, si fellis locum, si latebras & recessus omnes eius peragrâre velimus, quem non fœtorem, quæ non monstra intus ali cerneremus? verùm, si in animum eius etiam inuadere voluerimus, vt intima cōsilia, vt fraudes mentis, vt insidias voluntatis Missæ conspiceremus, & hæc omnia

in

in conſpectum (vt perſpicuè agnoſcantur) produxerimus, non dubito quin vox omnium communis exiſtit: Eccè Miſſa Papæ, quæ tollit cænam Domini: Eccè vulpes Papæ, quæ deuorat agnum Dei: Eccè idôlum Papæ, quod auget ſcelera mundi. Et ingredienti mihi in hunc latiſſimum campum ſcelerum Miſſæ, exploratus introitus, perdifficilis verò exitus apparet. Circundabo me certis finibus, & hij tamen fines latiſſimè patent. Decalogum Domini mihi proponam, cuius partes vniuerſas violauit hæc veſtra Miſſa: & orationem meam ordine præeuntem, meliùs intellegẽtia veſtra ordine conſequetur.

Non habebis Deos alienos coràm me.

Primum mandatum eſt, vt vnum ſolum Deum cognoſcamus, & illum ſolum adoremus. An Deus ſit adorandus, de hoc contendimus? Imò, hoc nos vnicè cupimus. Et hîc impudentiſſimi ſunt omnes

Papiſtæ

Papistæ, qui exclamant Deum non adorâri, nisi ficto quouis humano cultu adoretur. Profectò, omnes hoc vident in Scripturis, Deum non alio crimine grauius irritâri, q̃ cùm adoratur alio modo q̃ ille requirit. Tota Scriptura nihil aliud est. Hoc, præcepta omnia docent: hoc, exempla monent: hoc, supplicia Dei infinita clamant. Audi clarissimum exemplum. Nadab &

Leuit. 10. *Abiu filij Aaronis summi sacerdotis, thuribulis imposuerunt ignẽ & incensum desuper, afferentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptũ non erat, egressusq; ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt. Et miror quòd Sacrifici, filij Papæ, summi sacerdotis, non perterrefacti sunt hoc exemplo, sed adorant, suo inuento, sacramentũ quod eis præceptum non erat. Vtinàm & in hoc loco etiam Rex noster vocaret ad se Missatores, & quæreret: Quo iure compellunt populum adorâre sacramentum? Quomodo sciunt hoc placêre Deo? Quomodo non summopere displicêre Deo, cum alienã adorationẽ, quã ille non præcepit, semper in scriptura abhorruerit? Si hanc adorationẽ retinendam esse dixerint,*

rint, adferant vnũ mandatum Domini, vnum Apostolorum exemplũ, vnum ecclesiæ primariæ vsum, vnum Apostolicæ doctrinæ verbũ: sed mandatum Domini nullũ est, exemplũ Apostolorũ in cæna, nihil tale arguit, vsus Apostolicæ ecclesiæ vel in Actibus Apostolorũ expressus, vel à Paulo Corinthijs traditus, nè vestigiũ quidèm adorationis ostendit. Ecclesia vetus non iubet, imò prohibet: nam vetuit Nicena Synod⁹, nè nimis humilitèr attentus esset populus ad proposita Symbola. Et hodiè etiam canimus, Sursum corda, quod monet quomodo Deus adorâri debet. Si adoratio sacramẽti, est res in nostra religione maximi momenti (quod multi homines ita esse credũt, cùm in nulla alia re tantam curam & cautionem adhibent:) certè damnabimus vel Christũ negligentiæ, qui non præscripserit: vel Apostolos impietatis, qui esum potius sacramenti, q̃ adorationẽ, celebrarint: vel Ecclesiam primariam inuidiæ, quæ tantam rem tanto silentio obruerit: & Synodũ Nicenã hereseωs, quæ hoc ipsum apertè vetuerit: sin adoratio sacramenti res sit minimi momenti, cùr maximas cõtentiones de ea re excitamus?

Age,

Age, tu adoras, ego non adoro: videamus vter ſecurior eſſe debet. Ego comedo corpus, bibo ſanguinem, facio omnia in commemorationem Chriſti, nihil libenter omitto quod Chriſtus inſtituit, nihil temerè ſuſcipio quod Chriſtus non præcepit, & intra fines ſermonis eius totum meipſum cõtineo. Ego ſecurus ſum, qui à mandato Dei non deflecto, & interim audio vocem

Ioan. 8. *Domini dicentem, Si manſeritis in ſermone meo, veri diſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis veritatem. Tu vteris cæna Dominica more tuo, addis etiam adorationem ſacramenti, non malo fortaſſe propoſito: ſed an Deus hoc vult, neſcis: & quòd Deus hoc non iuſſit, certò ſcis. At qui facit quod Deus non iubet, potiſſimùm in nouo cultu excogitando, caueat ne illud Ieremiæ de eo*

Iere. Lamen. 3. *dicatur: Quis eſt iſte qui hoc facit, Deo non iubente? Caueat, ne illa ſupplicia ei immineant, quæ Deus nouæ adorationis inuentoribus ſemper præparat. At ſi meum conſilium ſequeris, omitte orâre, quod imperita pietas docuit: & incipe ſolùm amplexâri, quod certiſſima veritas inſtituit. Omitte nimiam tuam pietatem quæ*

ſæpiſ-

sæpissimè displicuit: & sequere perfectam Christi institutionem, quæ certam securitatem habet: nam qui tenet quod Christus monuit, qui obseruat quod docuit, qui facit quod ille fecit, etiamsi de suo nihil addat, se tamen Christo placêre intelligat. Sacerdos eleuat, populus adorat, quæ res nec Domini præceptum, nec Apostolorum exemplum, nec Ecclesiæ vsum vllum habet. At solus Deus adorandus est, & Deum nemo vidit vnq̃. Quid ergò adoramus quod videmus, cum solus Deus sit adorandus, quem nunq̃ videmus? Vide quomodo Papistæ abusi sunt eleuatione. Sacerdos Leuiticus solebat res manibus suis eleuâre, quas populus ad sacrificium apparasset: hinc incredibili audacia sacrifici nostri sacramentum corporis & sanguinis Christi proponunt populo, non vt comedat carnem Domini, quod Dominus instituit: sed vt videat & adoret tãtùm, quod Christus non præcepit. Si Deum adorâre vis, consuetudinem vulgi, omnium errorum diuersorium, relinque: & ducem illum, qui rectissima via existit, sequere. Deus spiritus est, (inquit Christus) & adorantes Leuit. 23. Ioan. 4.

eum

eum oportet adorâre in ſpiritu & veritate. Et quicquid cernitur, non eſt ſpiritus: ergò, quod cernitur non adorâri debet: ſed, quod ſacerdos eleuat, cernitur: ergò, quod ſacerdos eleuat, adorâri non debet. Si in ſpiritu debemus adorâre, cùr in ſenſibilibus hæremus? ſi in veritate hoc facere, cùr ſine teſtimonio ſermonis Dei, qui veritas ipſa eſt, hoc inſtituimus? aut relinque ſenſum, & ſequere ſpiritum: aut nega veritatem, & amplectere conſuetudinem: nam apertè loquitur Chriſtus: Pater, inquit, hos adoratores quærit, qui ſpiritu & veritate adorãt. Si tu ergò vis eſſe, quem Pater quærit, adora tu illum quemadmodũ ille præcepit, nè Chriſtus dicat tibi, Adoras quod neſcis: nam quod facis, ne tuearis cõſuetudine: ſed quod facere debes, diſce ex præcepto Dei. Sed dicis: Si comedo Chriſtum in ſacramento, quarè non adorabo ſacramentum? Imò, quarè adorares? & quo præcepto Domini adorares? potiùs cõſiderâre debes. Sed reſpondeo: Recipio Chriſtũ in Propheta, quarè Prophetam non adorem? nam qui recipit Prophetam, recipit Chriſtum, qui mittit Prophetam.

Age,

Age, si recipis Prophetam, si vesceris sacramento, benè facis, quià Dominus iubet: si neutrum adoras, non malè facis, quià contrà præceptum Domini nihil facis. At iterum dicis: Vbi corpus Christi, illic anima: Vbi anima, illic diuinitas: & diuinitas vbicunq; est, adorâri sanè debet. Si sic colligis, tũ vnaquæq; res adoranda est, quià per singulas res diuinitas Christi fusa est. Sed adhuc perducis me longiùs, & dicis: Non de potentia diuinitatis loquor, quæ per singulas res permeat, sed de natura diuinitatis, qua secunda persona constat, & sic coniungo corpus, animam, & diuinitatem in sacramento: sacramentum igitùr adorâre debeo. Audi contrà: Aut hanc cõcomitantiam veram esse per scripturam ostende: aut id nos docêre, pro quo nullam authoritatem habes, desine. Augustinus verò has res separâri posse declarat: quià tempus fuit, cùm corpus Domini iacebat in sepulchro, anima descendebat in infernũ, & diuinitas se contulit in Paradisum. Neq; tu dicas: Hoc nimis dictu absurdum est, quod tùm sine omni absurditate factũ est. Præterea, diuinitas diuinam adoratio-

Augustinus.

nem requirit, & tùm facilè consentimus, diuinitas oculis non cernitur. Populus adorat quod cernit, & ex creatura idolum facit: dicit enim vulgus, Deum hodie vidi. Augustinus ait, quod videtur panis est, quod fides postulat instruenda, panis corpus Christi est. Vulgus non fidem ad corpus Domini, quod intelligitur: sed intuitum ad panem, qui videtur, dirigit: sic, neq; corpus neq; diuinitas à vulgo, sed panis, quem cernunt, adoratur. Et hunc errorem populi, alit, non tollit improbitas sacerdotum: nam si persuadeant plebem vt veniant ad eleuationem, vt inspectent calicem, nullā aliam religionem, certè non tantoperè requirunt. Et hîc fremunt nonnulli, quià cum Augustino panem voco quod cernitur: cùm illi dicunt nuda accidetia, sine subiecto, subijci oculis populi, & frangi manibus Sacrifici. Vbi hanc doctrinam hauriunt? Ex verbo Dei? Proferant. Ab Ecclesia? Falsum dicunt: nam omnes Christi, vocem eius audiunt. Itaq;, aut comprobent Augustinum sequentem Paulum: aut quod illi obtrudunt, ex verbo Dei proferant: aut hoc totum, quicquid est, humanum inuentum

tum esse cognoscant. At ait quis: Tantum tribuis Augustino? Augustinus adorationem carnis commendat. Intelligo, noui locum, in Psalmum nonagesimum octauum. An iniuriam facio Augustino, si ego de illo dicam, quod ille ipse de Cypriano olim dixit? Non teneor eius authoritate, nisi scripturam adferat. Sed ego profectò sic nõ faciã, sed libentèr sequar Augustinũ: nam Augustinus nullam adorationem agnoscit, nisi quam à Domino in quarto Ioannis didicit, hoc est, vt adoret Deum in spiritu & veritate. Aduertite Augustinum quomodo loquitur, ait enim: Scriptura dicit, Adorate scabellũ pedũ eius: & Scriptura dicit, Terra scabellũ pedũ meorũ: & Scriptura dicit, Suscepit terrã de terra: & posteà, cũ de adoratione carnis loquitur, nõ ait scriptura dicit, sed quid? Ego inuenio quomodo adorem. &c. Et tamen ego nõ dubito, quin hoc eius inuentũ, sit illud à Christo positũ, Pater meus adoratores huiusmodi quærit, qui spiritu & veritate adorãt. Augustinus igitùr in tã sublimi beneficio Christi, Deũ solũ propter se adorat: plebem verò res aspectabiles adorantẽ Augustinus non cõfirmat. Aug. psal. 98.

Ad Quir. lib. 3. cap. 49.

Vis adorâre sacramentum? Hoc non docet Augustinus, sed vt carnem adorares, quam honora vt debes, & honora quantum vis: & hoc te docebit D. Cyprianus, non ea doctrina quam ex propria officina protulerit, sed quam ex sacræ scripturæ spatijs excerpserit, hoc est: Quicunq; ederit panem, & biberit calicem Domini, hoc cogitet, quomodo indignè hoc non faciat. Et hãc adorationem libenter recipimus, illam verò populi nostri quotidianã, quam Diabolus excogitauit, hypocrisis in lucem indicauit, Romana Styx, non verbum Dei approbauit, & cæca cõsuetudo in nostra tẽpora cõseruauit, omninò reijcimus. Quæ vna res, cænæ Dominicæ institutionem, non solùm ex hominum consuetudine, sed memoriam etiam omnem eius ex hominũ sermone abstulit: nam dùm eleuationem Sacrifici timidè & horridè inspectant, dùm sacramentum in pixide reuerenter cõcludunt, dùm in pompis suis solennitèr circumferunt, dùm his præstigijs oculos inaniter pascunt, vsum, fructum & memoriã cænæ Dominicæ ab animis suis securè deponunt. Et hîc Deus duplicem à Diabolo

accepit

accepit iniuriam: primùm, quòd honor illi raptus est, & ad rem visibilem traductus: deindè, quòd cæna Dominica instituta ab illo, ad cõmemorationem sui, nunc conuertitur in leue spectaculum vulgi. Si hæc non sit idôlolatria, hoc est, permiscêre rem diuinissimã humana prophanatione, idôlolatriã ego non intelligo. Rogabo Dominũ nostrum Iesum Christum, vt aliquando Papistæ patiantur diabolũ iuste reprehendi, vt illi etiam reuertãtur ad cor, vt vtriq; nos simùl glorificemus Deum eo cultu, qui & ex spiritu est, & ex verbo Dei est: tùm vanas adorationes non sequeremur, quæ cõmouent bilem Domino, sed cultum eũ præstaremus Deo, qui λογικὸς est, vt Pauli verbo vtar, Rom. 12. qui mente & intelligentia viget, nõ in rebus sensibilibus inhæret. Itaq;, cùm Deus in cultu suo zeloticus Deus est, nec cũ altero quicq; cõmunicat: cùm nouos cultus, nouis semper supplicijs vindicat: cùm securi sumus, si præceptũ à Domino amplectimur: cùm securi esse non possumus, si nostras vias sequimur: rectam & certam cænæ Dominicæ institutionem cum Domino vrgeamus, humanam verò & incertam a-

adorationem Missæ vnà cũ Papa & Diabolo abijciamus. Et tùm Christus non dicet nobis, Adoratis quod nescitis: sed nos in sermone eius manentes, seruos suos vocabit: & veritatem sequemur, quià facimus non aliter quàm iussi sumus. Solus igitur Deus, non sacramentum, iuxtà primum præceptum Domini adorandus est.

Ioan. 4.

Ioan. 8.

Non assumes nomen Dei in vanum.

In Missa vana nominis Dei vsurpatio.

Quàm vana & inanis vsurpatio nominis Dei in Missa quotidiana sit, min⁹ intelligunt multi homines: quià in nulla alia re magis Papistæ laborauerunt, q̃ vt reliqui nihil intelligerent, ipsi soli quid vellent, facerent. Si nulla alia res Missam cõdemnaret, certè vel hæc vna debuerat, quòd nominis Dei, hoc est, bonitatis, virtutis, potentiæ, & quicquid Deo attribui potest, creberrima vsurpatio in Missa, minimum fructum plurimis sacerdotibus, inanem labiorum strepitum omnibus ferè astantibus adferre solet: nam, non solùm nomen Dei, sed

ſed omne verbum, quod non intelligitur, inaniter iactatur. Eſaiam Prophetam adducere poſſum: D. Paulũ proferre poſſum: ſed hijs maiorem, & omnibus modis maximum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum audietis, non verba ſua proferentem (nam verba Chriſti multi perditi contemnunt:) ſed ſenſum verborum ſuorum explicantem. Ait Chriſtus exponens parabolam, Omnis qui audit verbum Regni & non intelligit, venit nequam ille, & rapit quod ſeminatum eſt. Reſpondete Miſſatores, cùr tot nomina, tot verba, Dei populo non intelligenti ſeminatis, vt Diabolus rapiat? Cùr ſcientes hoc facitis? Quid habetis quod reſpondeatis, niſi quòd Papa authore hoc facitis? Intelligite quantum Chriſtus, in parabola, diſcrepat à vobis, in veſtra Miſſa. Chriſtus hoc agit, vt omne verbum ſuum non aure ſolùm percipiatur, ſed corde etiam intelligatur: vos, vt omnia confuſiſſima ſint, permiſcetis Syriacũ, Hebraicum, Barbarum, Græcum, Latinum, cùm vix ſacerdos nédum populus intelligat Anglicũ: deinde, altiſſimis ſymphonijs, organis, Mimicis geſticulationibus, ſecre-

tis murmurationibus, occlusis cancellis, omnia comparatis vt nihil homines intelligant. Si Regia maiestas rationem huius rei à vobis postularet, aut nihil, aut impudentèr respondebitis. Præterea, quòd verbum Dei magnam partem vel populo adimitur, vel aliena lingua, cùm explicari debet, traditur, caret profectò omni exemplo Scripturæ, doctrina Apostolica, Ecclesiæ purioris vsu, Doctorum consilio, mediocris rationis præsidio. Si exemplum quæris, Moses & Prophetæ omnia scripserunt, omnia populo proposuerunt vulgari lingua: cùm tamen, si ipsi, in aliena lingua, verbum Dei continuissent, rationem certè aliquam sequuti fuissent: quià illa tempora quodãmodo obscuritati & tenebris destinata erant. Doctrina Apostolica apertiùs præcipit, vt omnia tradantur planissima lingua, q̃ vt opus esset recensere, nisi quòd homines, dùm tenebras defendunt, ipsis tenebris magis cæci existant. Paulus ad Corinthios instat, vrget, vt omnia intelligantur: qui vnus locus pudorem adferret defensoribus Romanæ religionis, nisi illi ipsi omnem pudorem sibi abstersissent.

1. Cor. 14.

Nam

Nam quid vult Paulus per hæc verba? In aerem loqui : Quid vobis prodero : Barbarus ſum : mens omni fructu caret : omnia ſint ad ædificationem : Quomodo, qui non intelligit, reſpondebit, Amen : nè ſitis infantes: alienam linguã ſectantes: Aliena labra : Aliena lingua eſt in ſignum infidelibus : Inſanitis : Si non ſit qui interpretetur, taceat qui loquitur linguis : iubet Paulus, & ait, Taceat. Quis ex noſtris ſacerdotibus obediuit vnquàm Paulo, & tacuit? Certè, aut Paulus cum nulla authoritate hoc iuſſit, aut noſtri ſacerdotes cum ſumma impudentia non parent. Vellem libentèr ſcîre, quomodo Paulo reſpondent. Sed deficiunt ſcilicèt à Paulo, & veterem Eccleſiam ſequuntur? Græci græcè, Latini latinè, ſingulæ ſemper gentes ſua lingua loquuti ſunt. Nam aliena lingua non intellecta vti, nihil aliud eſt, quã ab humano ſermone, ad inanem ſtrepitum & garritum auium traduci. At conſiliũ Doctorum multùm mouet. Iudicem habeant Hieronymũ, qui puellis ſeptem annos natis, biblia in vulgari lingua tradit. Rationem quomodo iuſtè illi requirũt, qui ver-

Quid aliena lingua non intellecta vti.

Hieronymus.

bum Dei rem rationis pleniſſimam obſcuritati & tenebris mandant? Et quomodo illi non omni ratione carent, qui putant rectiſſimam viam in errores, ſalutarem lucem in tenebras, veritatem ipſam in mendacia, & panem vitæ ad mortem, homines adducere poſſe? Auferant ergò Romani iſti Sacrifici modium ſuum, quem lucernæ Dei circundederunt: & verbū Regni, tot annos iàm ab illis in Miſſa ſua, vt Diabolus rapiat ſeminatum, intelligenti cordi hominum, vt aliqua fruges Domino exoriatur, patria lingua diſpergant. Itaq́, Romani iſti Sacrifici, aut fateantur nomen & verbum Domini inanitèr populo ab illis in Miſſa eſſe propoſitum: aut Chriſto reſpondeant, qui omne verbum non intellectum à Diabolo raptum eſſe docet.

Miſſa habet puerilis puppas.

Miſſa habet & alias ſuas inanitates, quæ omnes puppas pueriles ſuperant. Age, quid cogitas Sacrifice, cùm totiès te conuertas ad Altare, & dicis, Dominus vobiſcū, cùm ſæpè nullus adeſt, ſæpiſſimè nullus intelligit. An parietibus loquèris? An imaginibus tuis? Audi etiam quod maiori irriſione dignum eſt: clamat, Ite, Miſſa

sa est, cùm nemo est qui discedat: si hæc non mera stultitia est, quid esse dicis? Tu stas in mensa Domini: quid si solus in mensa tua priuata domi sederes, & te huc & illuc iactares, & appellares homines, cùm nulli adsunt: & iubeas homines abîre priúsquam veniant, an non insanires? An hoc domi ineptissimum est, in Ecclesia Dei decentissimum? Profectò Diabolus nimis se hîc prodit, nimia sua stultitia. Nos etiam fatemur has pias sententias esse, Dominus vobiscum: Sursum corda: Ite, Missa est: & cum magno fructu vsurpâri posse, si populus Domini ad Communionẽ collectus, voce & corde respondeat: Et cum spiritu tuo, habemus ad Dominum &c. At quomodo Missa vestra nunc est, nisi has non stultitiæ modò sed insaniæ notas deposueritis, non solùm condemnabitis vos ipsos spreti secundi mandati Dei, sed irrisioni etiam puerorũ vos ipsos exponetis, & in illius Solomonis Eccle.1.
sententia iustam reprehensionem Missa vestra & vos incurretis, Eccè vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Sabatum

Sabatum ſanctifices.

Exteras oras Miſſæ pertranſiuimus, in ditionem tyrannidis eius nunc ingredimur: occupat enim tyrannidē Miſſa, omni vera religione Dei aut relegata, aut in carceres & tenebras cōiecta, aut in miras angustias & obſcurā conditionem demiſſa. Ait dominus, Sabatum ſanctifices. Reſpondeat mihi hîc vir æquus quiſquis eſt, Quomodo ſanctificatur Sabatum in Anglia, vel ſaltèm in maxima parte Anglia? Quæ ſola religio regnat? Cui religioni ſeruiunt tempora, dies, & homines? Ad quid concurſus hominum fit? Ad audiendum verbum Dei? Multi rarò audiunt, plures non deſiderant, plurimi contemnunt, vniuerſi cum ſocordia certè & languore audiunt. At in qua vna re ſingulos dies ſine ſatietate, longiſſima ſecula ſine faſtidio conſumimus, & arcem religionis noſtræ collocamus? An-non in Miſſa audienda? an-non in Miſſa videnda? an-non ſola Miſſa facit vt cætera omnia miſſa fiant? Eſt hoc Sabatū delicatū, & ſanctū Domini glorioſum? Eſt hoc facere voluntatem

Eſaiæ. 58.

Dei

Dei in die ſancto eius? Age, proſpiciamus omnes circum-circa regiones, omnes Eccleſias Angliæ. Quid aliud in Sabato habent? Quid aliud requirunt? Quam aliam religionem nouerunt? Imò, nullam aliam diſcere poſſunt, quià ſacerdotũ turba, nullam aliam religionem quàm Miſſam docêre queunt. Si Miſſa, ſi ſola Miſſa non ſit ea religio, quam Angli ſolam expetunt, quarè Sacerdotes tolerantur qui nullam aliam religionem quàm Miſſam profiteri poſſunt. Soli ſacerdotes religionem populo offerunt, ſed in nulla parte religionis verſantur quàm in Miſſa: ergò, nulla alia ferè religio quàm Miſſa reliqua eſt in Anglia. Et hoc non dico ad explicationem rei, quæ manifeſtiſſima eſt: ſed ad conqueſtionem calamitatis, quæ deploratiſſima eſt: in qua re, & breuior & languidior ſum, quàm tanti ſceleris magnitudo poſtulat: nam peragremus omnes parochïas Angliæ, intremus ædes Magnatũ, leguleiorum & etiam epiſcoporum, an non omnes pulchrè ſibi conſtitutam eſſe religionem Chriſti autumant, ſi indoctum Miſſatorem ſibi comparauerint? An vllum aliud

aliud vestigium Christianæ doctrinæ docendum curant? Et cùm in tanto somno iacet populus, cùm tanta ignorantia circumfusi sunt sacerdotes, cùm hoc vident episcopi, cùm hoc patiuntur magistratus summi, profectò aut nullus Deus est in cœlo, aut tanta intollerantia vindicabitur in terra. Et quid est quod tantam ignorantiam, & olim inuexit, & tàm diù texit in Anglia? sola Missa: nam dùm sola Missa satisfacit omnibus, omnes abiecerunt curam veræ religionis. Sabatum Domini non sanctificabatur: vias suas, non voluntatem Domini, omnes ferè sequuti sunt. Pauci sic cognouerunt Dominum Deum, vt omnia illi soli tribuerentur: pauci sic cognouerunt hominem, vt omnia illi eximerentur. Verbum & sacrosancta mysteria Dei neglecta sunt. Officia mutuæ charitatis incognita sunt. Obedientiæ & ciuilis vitæ munera obscurata sunt. Sabatum Domini & vera quies à peccatis, inter paucissimos colebatur: sic vbiq; loco veræ religionis sola Missa dominabatur. At Deus reseruauit sibi populum suum, qui non curuauit genua sua coram

Baal.

Baal. Excitauit etiam his temporibus homines Dei, qui has fœditates Missæ repurgarent, & Religionem Christi in veterem suum splendorem restituerent. Hùc Iosias noster intendit, hùc nobilis Somersetensis, totus cum tota Consilio Regio incũbit, hùc nobilissima Princeps Catarina & Elizabeta, clarissimæ Duces Somersetensis & Suffolciensis, plurimæq; aliæ eximiæ nobiles fœminæ, plus curæ & sedulitatis contulerunt, quàm omnes in Anglia Sacrifici, quàm multi ferè Episcopi, qui in hac re potissimùm elaborâre debuerunt. Et iàm duæ sententiæ Esaiæ Prophetæ de hac vna nostra Anglicana Ecclesia dici verè possunt, nempè, Venerunt structores tui, destruentes te: at consolatur iterúm, Et erunt Principes nutritores tui, & Reginæ nutrices tuæ: quibus ducibus, Sabatũ acceptabile in Angliam reducetur, summotis his, qui absque Missa foret, tanquàm sal insipidum, indigni essent, qui in sterquilinium, vt ait Christus, proijcerẽtur. Nam da mihi turbam sacerdotum, & sũmoue Missã ad tempus, quid facerent? Docerẽt? nihil didicerũt. Cõcionabũtur?

Rex Ed. 6. Angliæ Iosias.

Esai. 49.

Imò

Imò, vix legere exploratè possunt. Quid possunt igitur? solùm missâre: sola enim Missa diuersorium commune est, quod recipit & alit omnes inutiles sacerdotes: quæ sola etiam reiecit & excluſit ab Ecclesia Dei, multos aptos ministros verbi & mysteriorum, qui abominationes Missæ non ferentes, in aliud vitæ genus, tanquàm in aliud domicilium concesserunt. Et sic hij duces cæci perduxerunt populum Dei in has tenebras & noctem, vbi altè dormiũt, & nihil sentiunt, nisi quòd somnio Missæ inanitèr oblectantur. Punge populum, excita si potes, interroga quomodo seruit Deo, aduerte etiam tu, quomodo traducit diẽ festum, atq; si non audîre & vidêre Missam, eius sit seruîre Deo, grauitèr reprehendar. Si interroges de mandatis Dei, de fide in Christum, de officio in proximum, aut tanquàm lapis nihil sentit, aut te hereseos nomine, & nouæ alicuius doctrinæ suspectum statim abiget. Nec mirum est: nam cùm in festis diebus, animus non docetur, sed oculus tantùm pascitur, doctrina Christi nulla, sed semper Missa Missa, non mirum est, inquam, si populus perpe-

tuis

tuis circumfusus tenebris, è somno ad lucem veritatis aspicere non queat. Arctissimus somnus vniuersos ferè complexus est. Populus secure dormit: Sacerdotes stertunt, sed non quietissimè: nam iactantur multis inanibus visis: Episcopi conniuent, alij dormiunt, sed turbulentiùs, excitantur è cubilibus, circumeunt, clamant, negant somnum esse vllum: populum sacerdotes vigilâre non dormîre vociferantur, somnum in doctrina, somnum in Papismo nullum agnoscunt. Audiui concionatorem, qui duplicem somnum in ampliſsimo loco explicabat, alterum peccati in vita, alterum ignorantiæ in doctrina: peccati somnum grauiter & erudite pertractauit. Verùm in tanta horum temporum cæcitate populi, qui verbo Christi non instruuntur: in tanta ignorantia sacerdotũ, qui nihil omninò intelligunt: in tanta caligine Papisticæ doctrinæ, quæ in omnes Ecclesiæ partes circumfusa est, nullũ somnũ inuenit: sed clã insectatus est eos, qui somnũ populi, & somnia sacerdotũ notâre voluerunt. Et hi concionatores, dùm Papam nunq̃ accusant, dùm doctrinam

Duplex somnus a quodam concionatore explicatus.

Papæ nunquàm ſermone ſuo exagitant, ſed vel ſilentio commendant, vel conquiſito artificio defendunt, nunc pugnantes fulminibus Pigij, nunc ludificantes &

Φλυαρῶντες *ſcommatibus Thomæ Mori, detinent populum in veteri ſomno ſuo, ne excitetur voce clamantis Dei: ſacerdotes ignorantia ſopîtos, ſinu & amplexu ſuo fouent: & reliquos, qui populum è ſomno Papali excitâre volunt, quantum poſſunt deterrent, profectò abſq; hijs eſſent: nec Papa, nec Pigius, nec Morus, hoc tempore Angliam ſomnijs ſuis perturbarent: & magiſtratus in excitanda religione Chriſti minùs hoc tempore laborarent. Et precor Deum, vt ſomnum ignorantiæ in doctrina, mentibus noſtris excutiat: vt lucerna verbi Dei præeunte, quid in omni vitæ ratione ſequendum ſit, quiuis intelligat: vt dignitas Preſbyterij ab hijs contumeliæ ſordibus, in quibus nunc iacet, repurgata, veterem nitorem, & antiquum locum ſuum obtineat. Preſbyteris hoc tẽpore duo grauiſſimi aduerſarij conſtituti ſunt, Papiſtæ & Miſſa: Papiſtæ, qui eos in omni genere ſcelerum volutâri, omnibus*

ſi nugantes blaterantes.

Præſbyteris duo grauiſſimi conſtituti aduerſarii.

Papiſtę hoſtes preſbyterorum.

bus ignorantiæ tenebris circũfundi maluerint, q̃ ad Pauli institutionem conformâri illos̃ pati velint. Nam, quis est omniũ qui vnquàm audiuit Papisticum concionatorem, non dico acriter inuectũ esse, sed vel leuiter commotum fuisse hijs tenebris & sordibus, quibus natio quotidianorum sacerdotum fædata iacet: & silentio monstrant quid iudicio probant. Isocrates, disertus & prudens author, ostendit tria hominum genera, hostibus quàm Reipub. vtiliora esse: primum, qui verbis suis hostiũ negotia promouẽt: tũ, qui non satis fortiter & animosè, sed languidè ac frigidè resistunt: deindè, qui silent & nihil contradicũt. Et huiusmodi hominũ vitio, his tẽporibus vitia non solùm sacerdotũ, sed Romanæ religionis maxima momẽta sũt, vel magnoperè munita, ad defensionẽ: vel leuiter tacta, ad excusationẽ: vel õninò præterita, ad cursum liberiorem. Nemo his dictis meis, quasi nimis asperis, stomachabitur, nisi qui se iustè tangi (teste sua conscientia) arbitrabitur. Quanq̃ non mihi, sed Isocrati: nec illi, sed sibi ipsis hoc tribuant, qui potius desinere malum facere,

Iso. in Archidamo.

Tria genera Papistarum.

quàm reliqui verũ dicere, debeant. Et hi quasi custodibus, omnes ferè sacerdotes in somno ignorantiæ & multæ fæditatis vitæ securè iacent: apud quos, si vlla cura dignitatis Presbyterij tuendæ excubuisset, hoc profectò sacrosanctum Ministerium, in tantam plebis vituperationem, inuidiã, & contemptum, his temporibus adductum non fuisset. Alter hostis Presbyterorum Missa est: nam, quod etiam atq; etiam dicimus, si Missa non esset, vbi haberent inepti sacrifici diuersorium, in quo delitescerent? Ex Missæ enim latibulis prosiliunt, & in Missæ latebras iterùm se condunt tot fucorum examina. Quid ita? Quià nullus est tàm iners, tàm ab omni literarũ doctrina abhorrens, nec tanta scelerum abundantia diffluens sacerdos, quẽ Missa vnquàm excluserit. Hæc vna Missæ officina vilissimos semper aluit opifices. Reliquæ officinæ vniuersæ, Sutoriæ, Fabriles, Textoriæ, magnam curam adhibent, vt ineptos non recipiant, vt artis suæ dignitatẽ excolant & ornent: soli sacerdotes rudes & ignarissimi sunt illius artis, cui se tradiderunt. ô cæcitatem, non dico sacerdotum

Missa hostis alter presbyterorum.

Missæ officina vilissimos semper aluit opifices.

dotum iàm, ſed totius Angliæ, ſed prudentiſsimorum virorum! Quamobrem? Quià quiuis perditus homo, non tunicam, non calceos ſuos committit niſi artifici: àt Reſpublica committit animas Chriſtianorum ſanguine Chriſti redẽptas cuiuis inerti ſacerdoti. Quis tàm cæcus, qui hoc non videt? Quis tàm ferreus, qui hoc non deplorat? Et tamen nullus hactènus fuit omnium magiſtratuum, aut tàm ſui officij gerens, aut ſalutis hominum cupiens, aut ſupplicij Dei pertimeſcens, qui tantã operã ad hanc rẽ fœliciter reſtituendã adhibuit, quantã obſcurus quiuis artifex in officina ſua quotidiana conſtituenda, indiès ponit. Vtrùm illi non potuerant, aut noluerant hoc facere, nullus eſt qui nõ intelligit. Sed hæc non tàm ad vituperationem præteritorum, quàm ad excitationem bonorũ, qui nunc ſunt, magiſtratuum, à me dicuntur. Miſſa igitur nõ ſolùm omnẽ Chriſtianæ religionis doctrinã ab eccleſia excluſit, & veluti Monarchiã quandã in loco ſancto occupat, ſed effecit etiam, vt totũ Miniſterium corruptum & obſcuratum, in nihilũ ferè reciderit: quo fit, vt vitã Chriſto

dignam traducere, & in vijs voluntatis eius insistere, hoc est, diem acceptabilem Domino, & Sabatum glorioſum celebrâre nullo modo possumus, nisi Missæ nimis tyrannicum imperium è sede sua demoueatur, & verbum Dei ac mysteriorum eius rectum ministerium in locum suum restituatur.

Honora parentes.

Missa non solùm in religionis finibus non constitit, verùm etiam in omnes partes ciuilis vitæ inuasit: nec tantùm intulit sese in forensem consuetudinem, sed intrusit se etiam in coniunctionem domesticam: nec vincula solùm arctissimorum officiorum perfregit, sed omnia iura naturæ etiam permiscuit. Innumerabiles enim parentes contrà liberos, & liberos contrà parentes, sic dissidijs ac litibus Missa concitauit inter se, & commisit, vt dùm illi in gratiam Missæ exhæredâre liberos, isti contrà de possessione deturbâre parentes contenderint: nullum interim non honoris dico, non pietatis, non officij, sed nè minimũ quidèm

quidèm humanitatis vestigium inter eos apparuerit. Vtrum verò hoc à me sit fictũ, ad vituperationè Missæ: an ex ipsa re natũ, ad explicationem veri: Monasteriorũ, Canteriarum, & si quid monstri reliquum est, quod hæc vestra priuata Missa genuit, luce clarius ostendere potest. Prætereà, quoniàm hoc præceptum Domini, omnem obedientiæ rationem cõplectitur, quis herus vnq̃ habuit tàm obedientem seruum, quæ mulier tàm amantem maritum, qui parens tàm obsequiosum filium, quem non aliquandò priuatarum Missarum architecti, ab omni obedientiæ iure absoluerũt, &, vt se in rasorum gregem abderet, pellexerunt? Fœminæ etiam immunes non erant: sed hunc locum vrgêre non institui, quamuis iustè hoc facere potuerim, & quæ sunt huius sermonis magis ꝓpria me auocâre videntur.

Non occides.

Libido omnis tyrannidis singularis semper fuit, in effusione sanguinis præcipuè tamen dominatur, vbi vis fraude coniũgitur. Missæ autẽ maior nè fuerit vis an

Missæ maior ne vis an fraus.

fraus, quæstio est, sed perq̃ difficilis: intolerantiam Missæ in vtroq; genere attingemus, sed fraudis eius illecebras in proximũ locum reseruabimus. Vim Missæ in effundendo sanguine, & in permiscendo cuncta tempora cruore, quoties cunq; vlli extiterint, qui contrà eius insolẽtiam dicere ausi sunt, vix longa historia, nẽdum breuis oratio capere potest. Hanc igitur Tyrannidis partem proiectam nimis, & eminentem, & quasi orbis Theatro propositam, relinquemus: de animarum interitu, & quotidiana Christi occisione orationem nostram instituemus. Interficit se, interficit Christum, qui reus est corporis & sanguinis

1. Cor. 11.

Christi: Reus est sanguinis Christi, qui manducat panem & bibit calicem Domini indignè, inquit Paulus: manducat & bibit indignè, qui aliter celebrat mysterium, quàm à Christo institutum est, inquit

Ambrosius.

Ambrosius: sacerdotes non solùm aliter celebrant, sed peruersè hoc factum suum defendunt, quod probat quotidianus vsus. Quid concludam? nimis graue dictu est: Quid, accusabo Paulum & Ambrosium qui sic colligũt? Authoritatẽ eorũ vereor.

An

An excusabo sacerdotes, & dicam quòd ab institutione Christi non deflectunt? res apertior est, quàm vt negâri possit: insolentia maior, quàm vt defendi queat. Ignorantiæ præsidium nullum habent: nam doctissimi hoc faciunt, ætas excusationem non adfert: nam senes hoc comprobant, voluntas & mens tota peruersa est: quià leuissimũ esse putant, ab instituto Christi longissimè discrepâre. Quamobrem, aut refutent Paulum & Ambrosium, qui sic colligunt: aut se ipsi condemnent, qui sic faciunt: & alios non accusent, qui verum dicunt: nec acerbitatem nostri sermonis, sed improbitatem eorũ sceleris reprehendant: prudenter enim apud Sophoclem Electra,

Scelerosa facta, verba gignunt aspera.

Quid sit, & quantum nefas, à Christi institutione discedere, vtinàm à Diuo Cypriano discere voluerint. Cyprianus vehementèr exagitat sua tempora, quià in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando, aquam vino nõ miscuerint: rem illè grauem facit, contemptum obijcit ser-

Cyprian. Epist. lib. 2. 3.

monis Dei, iussum Christi non seruari clamat, sed populum fraudatum, & erroribus ac mendacijs seductum probat: quià aliter faciunt quàm Christus antè illos fecit. Si nunc viueret Cyprianus, & nullam communionem in Missa nostra esse cerneret, & integrum poculum plebi ablatum videret, præter fucatas illas inanitates, quæ præfinitas Dei constitutiones sustulerunt, quid diceret? quid scriberet? certè non multum referret: nam qui Christum & eius institutionem contemnere ceperunt, Cypriani reprehensionem in quo loco & numero haberent? Quòd verò iactant sacerdotes, se Christum offerre Patri pro redemptione, pro mortuis: præterq̃ quòd præter Dei verbum est, tota illa res plena cædis & cruoris est: nam, licèt Christum interficere non possunt, tamen in hoc sacrificio suo propitiabili propugnando, quod pro remissione peccatorum instituunt, à voluntate interficiendi abesse non possunt:

Hebr. 9.

quià Remissio non fit (vt ait Paulus) sine effusione sanguinis. Et quoniàm hoc sacrificium, ea vnica res est, in qua arcem & tabernaculum sacerdotij sui sacerdotes

nostri

nostri ponunt, videamus quibus fundamentis a Deo vel ab homine iactis constet & nitatur.

An Deus author est, in veteri vel nouo Testamento? At sacerdotium illud Leuiticum, cum omnibus suis sacrificijs, translatũ est, nec vbi pedem ponat, habet: sed quià imperfectum fuit, nec iuxtà conscientiam, cultorem sui perfectum reddere potuerat, durauit solùm ad tempus idoneum, quod Scriptura vocat Tempus correctionis, vt cederet sacrificio Christi, quod non solùm deleuit ius peccati & mortis, sed absorbuit etiam totum sacerdotium Aaronis. Quamobrem, nostri sacerdotes, hîc iuris nihil habent, quanquàm tota Quæstioniſtarum schola Iudæis sacerdotium suum acceptum refert: sed quod Christus abstulit, restituere illi non possunt. Verùm à Melchisedech originem ducunt? At minùs impium est, in Leuitico sacerdotio consistere: nam si sic faciunt, Diabolum patrẽ referunt: quid ita? quià exaltant solium suum supra astra Dei, & sedêre conantur in monte Testamenti, & Christum honore aut spoliant aut æquant. Heb. 9.

Mel-

Hebr. 7. *Melchisedech solius Christi typum gessit & assimulatus est filio Dei: si sacerdotes Melchisedech sunt, ergò ab æterno sunt: ergò efficax fuit hoc sacerdotium illorum Adam, Noë, Abraham, & patribus: manent etiam in æternum, saluos faciunt ad plenum, nunquàm moriuntur, nunquàm peccant, nihil in illis reprehendi potest, & reliqua quæ Paulus tribuit sacerdotio Melchisedech. At opinor, non sunt tàm impudentes, vt totum hoc sibi vendicent. Sed quid facturi sunt? Ad Christum veniunt, & orant illum, vt aliquam partem sacerdotij illius ad se transferat. Si ita est, benè est. Sed videamus, vbi hoc dicit Christus? Vbi Christus committit sacerdotium vllum, aut munus sacrificandi vllum, vni Christiano, quod non committit omnibus Christianis? Ministerium certum committit Scriptura certis hominibus: at nullum est sacerdotium, quod non imponit omnibus. Profectò superba natio est, omnium sacerdotum nostrorum. Quare? Ministerium quod Scriptura tribuit, pro nihilo habent: nomen non scripturæ sed hereseωs esse putant. Voca sacerdotem*

dotem Ministrum, vt ægrè fert! vt cristas tollit! Quid volunt esse? Sacerdotes: si dicerem fures, verè dicerem: nam quod Scriptura tribuit omnibus, hoc illi, inuita Scriptura, sibi solis arripiunt. Nam excutiamus locos Scripturæ, explicemus hoc nomen sacrificij, & eliciamus (si possumus) per quam authoritatem Scripturæ, soli sacerdotes nostri occupant possessionem nominis sacrificij: & vtrùm illis solis, an vniuersis alijs conuenîre debet. Dominicæ cænæ administrationem vẽdicant sibi presbyteri, & iure faciunt, nec nos repugnamus: sunt enim dispensatores sacramentorum Dei, & vtinàm (quod sequitur) essent fideles: nam tùm, & suum officium meliùs facerent, & ius alienũ minùs affectarent. Sed quid dicunt sacerdotes? quòd reliqui omnes comedunt, quod illi soli offerunt. Si intelligunt offerunt, quod illi soli administrant, distribuunt, & offerunt alijs, facilè concedimus: quo in sensu vetustissimi patres hoc verbo vsi sunt, vt Diuus Cyprianus in celeberrimo illo sermone, De lapsis, hijs verbis solennibus adimpletis, Calicem Diaconus offerre præsentibus cepit. 1.Corin.4. Cyprianus.

Et

Auguſt. Epiſt. 118.

Et Auguſtinus quoq; in epiſtola 118. ad Ianuarium, non ſemel ſed ſæpiùs eôdem modo vtitur. Sin verò ita ſentiunt ſacerdotes, quòd ſacrificium aliquod offerunt Deo, quod quiuis alius homo offerre non poteſt, omninò pernegamus: hîc perſiſtam', Scripturam legamus. Oſtende mihi ſacerdos quiſquis es, vbi illud priuatum ſacrificium eſt, præter facultatem miniſtrandi aliis, quod tibi ſoli vendicas? Audiamus verba cæna. Comedentibus illis.] *Hîc nihil habes, hoc cõmune omnium eſt. Accipiens Ieſus panem.*] *Iàm tua res agitur. Sed accipere panem non eſt ſacrificâre, opinor: nam qui iàm accipit, non dùm obtulit: Et gratias agens.*] Ευχαριστεῖν, *eſt pro beneficijs acceptis gratias agere, non noſtra oblata pro viuis & mortuis offerre. Sed Marcus habet* ἐυλογεῖν., *& hoc eſt Deum in domis ſuis laudâre, non noſtris muneribus eum donâre. Verùm hæc ſacrificia ſunt: concedo, ſed non ſacerdotum tantùm, ſed omnium etiam Chriſtianorum, quod nullus ſacerdos audet denegâre. Quid ſequitur? Fregit & dedit.*] *Profectò iàm locum inuenio. Eccè regnum*

ſacerdotum: hîc iacta ſunt fundamenta ſacerdotalis ſacrificij: hoc Frangere eſt illorum ſacrificâre: nam hîc manifestò relinquunt Christum, & diuertunt, vel potiùs peruertunt omnia ad ſuum priuatum ſacrificium. Conferte Teſtamentum cum Miſſali, & Chriſtum ſedentem in Cæna, cum ſacerdote ſtante in Miſſa: animaduertite vt ſuum ſacerdotium conſtituunt, quomodo cænam Dominicam mutilant & delumbant: intelligite quid Chriſtus dicit, & facit: & intelligite quid ſacerdos aufert alijs, & ſibi rapit. Chriſtus fregit.] Quid ſequitur? Dedit.] Heùs ſacerdos, cùr non ſequeris Chriſtum, & das? Et dixit, Accipite, comedite.] Hîc ſilent in Miſſa omnes ſacerdotes, nemini dicit, Accipite, comedite.

Eſt hoc eſſe fideles diſpenſatores ſacramentorum Dei? Chriſtus ait, Accipite, comedite, bibite ex hoc omnes.] Cùr hîc relinquitis Chriſtum, ſacerdotes? Cùr mandatum Chriſti ſpernitis? Oſtendit cauſſam Matthæus, Vt veſtram traditionem, & veſtrum ſacrificium ſtatuatis. Matth. 5.

Vbi

Vbi est illa vox toties vsurpata in Euangelio? Hoc factum est, vt impleretur scriptura: cùm vos contrà, in Missa vestra, omnia facitis, vt non modò scriptura non impleretur, sed vt tota scriptura contemneretur, & in eius locum humana vanitas sufficeretur. Nam si Accipite, Comedite, Bibite, ex hoc omnes (quæ Dei mandata sunt) locum in Anglia haberent, sacrificium vestrum priuatum, vnà cum sacerdotio vestro externo, iàm diù corruisset. Nemo dat in Missa, & propterea nemo accipit in Missa: & interim omnes ferè (iubente Christo vt omnes bibant) à poculo excluduntur. Mandat Christus, Accipite, Comedite, Bibite: nostri sacerdotes & aliud faciunt, & aliud docent, imò aliud mandant. Et quid de huiusmodi doctoribus loquitur Christus? Audite, Qui soluerit vnum ex mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Quomodo sententiã Christi vitabunt sacerdotes nostri? Quod os habent? Si mandat Christus, quare non sequuntur? Si dicunt, non mandat, impudentia maior est quàm scelus.

Sed

Sed fortaſsè dicent, quòd Chriſtus non loquitur de mandatis in cæna. Sit iudex Cyprianus, qui de eâdem re, hæc ipſa verba habet. Quod ſi nec minima (inquit Cyprianus) de mandatis Dominicis licet ſoluere, quanto magis tàm magna, tàm grandia, tam ad ipſum Dominicæ paſſionis & noſtræ redemptionis ſacramentum pertinentia, fas non eſt infringere? aut in aliud, quàm quod diuinitùs inſtitutum ſit humana traditione mutâre? Intellige, lector quiſquis es, quomodo ſacerdotes noſtri miſcent permiſcent omnia mandata Dei, vt hoc ſuum priuatum ſacrificium, contrà omne mandatum ſtatuant. Sed fortaſsè plus habent in cæna quod pro ſe adferant. Progrediamur. Ait Chriſtus, Hoc facite in mei commemorationem.] *At hoc illud eſt, opinor, quod quærunt. Aſt quid eſt, Hoc facite?*] *Paulus ipſe rationem explicantem ſtatim addit, dicens: Quotieſcunq; enim manducaueritis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, donec veniat: & ſic, Hoc facite in meam commemorationem, non eſt, Soli vos ſacerdotes ſacrificate: ſed, Vos omnes,*

Cypria. lib. 2. Epiſt. 3.

quicunq; eſtis, qui comeditis & bibitis, mortem Domini annunciate. Itaq; aut ſacrificium ſuum ex hoc loco colligere deſinant, aut munus ſacrificandi omnibus Chriſtianis concedant. Et quid hinc colligunt ſacerdotes? Ad illos ſolos pertinet commemoratio paſſionis Chriſti? Abſit: profectò fœlices ſunt ſacerdotes, ſi partem hîc habêre poſſunt, ſi non nimia ambitione ſua vniuerſum amittant. Quid aliud eſt in cœna? Mandat non ore ſuo Chriſtus, ſed ſpiritu eius Paulus: Cùm conuenitis ad comedendum, alius alium expectate.] Singularis, ſi Dijs placet, locus pro priuato ſacrificio. Miror quid cogitant hîc ſacerdotes. Quid reſpondent Paulo? Quis eſt omnium ſacerdotum noſtræ ætatis (de ſanctiſſimis loquor) qui expectauit alium, etiam ſi multi ſimùl fuerint in eâdem Eccleſia ſacerdotes? An non mauult priuatum ſacrificium celebrâre in priuato altari, occluſis cancellis, quàm expectâre alium, vt cœnam communem & Dominicam participet, iuſſu Pauli? At nè ægrè ferat Paulus, hunc monitionis ſuæ contemptum, ſed conſoletur ſe hac cogitatione:

tione: quòd qui Christi apertum mandatum in auferendo poculum violant, non mirum est, si exiguam illius præcepti rationem, in non expectando alium, ducant. Si in cœnæ Dominicæ institutione nihil habent sacerdotes, quo suum sacerdotale sacrificium probent, quò se conferent? In reliquas partes Scripturæ? Tantundem opinor inuenient. Sed sequemur eos, & nomina sacrificij colligemus, & quibus hominibus attributa sunt, quãtum possumus, eliciemus.

Videbimus enim (Deo iuuante,) si hoc sacrificium priuatum, si hoc sacerdotium externum, sedem in Scriptura habeat vllam, cuius authoritate nostri sacerdotes in cœna Domini separant se ab alijs, nec Ministerij finibus se circumscribunt, sed sacrificandi munus pro viuis, pro mortuis applicandum, sibi ipsis sumunt. Et eò libentiùs ingredior in hanc disputationem, quià nostri sacerdotes omnes faces adhibent, Tragœdias agunt, fremunt, Herodes Rex turbatus est & tota Hierosolyma cum eo, si quis mentionem faciat huius rei, vel hiscere audeat contrà

Externum sacerdotium arx regni Papistici.

externum illorum sacerdotium. Sciunt enim, quòd si hæc arx conuulsa esset, regnũ eorum labefactatum facilè concideret: nec quicq̃ ægriùs ferunt quàm ministerij finibus circundari, & ditionem suam, quam humana auxit gloria, scripturæ angustijs concludi & terminari: cùm tamen nihil augustius & sublimius esse potest, quàm gladio verbi Dei, in sancto solio, summis & infimis cum dignitate quadam dominari. Deposito hoc gladio, & in vaginam incluso, deposuerunt etiam veram & germanam suam dignitatem omnes ferè sacerdotes. Et hoc probi sacerdotes intelligunt, & se in veterem dignitatis sedem reponi laborant. Sed hoc studium eorum semper impeditum fuit, eorum opera, qui mundi decus & speciem admirantes, externum sacerdotium potiùs ab hominibus constitutum, quàm Ecclesiæ ministerium in Scriptura descriptum, sequi maluerint. Sed ad sacrificij explicationem, vndè digressi sumus, reuertamur.

Sacrificium duplex genere, nomine multiplex.

Sacrificium in nouo Testamento, genere duplex, nomine multiplex existit: Vnum est quod soli Christo tribuitur, nec quen-

quenquam hominem participem & ſociũ admittit: hoc fiebat in cruce, pro redemptione humani generis, vis tamẽ & fructus eius diffudit ſe in omnia tempora antegreſſa & poſtera, vt nulla vita, nulla ſalus exiſtat, (ſi in ditionem cœli, terræ, & inferorum penetrâre, ſi in memoriam præteritorum & futurorum reſpicere vis,) quæ non ſit morte & languoribus Chriſti Ieſu Sacrifici noſtri cõparata: qui infert & intrudit ſe in ſocietatem huius ſacrificij, ſpoliat Chriſtũ gloria clariſſimi ſui beneficij. Alterum ſacrificium commune eſt omnium Chriſtianorum, quod fit & ſuſcipitur ab hominibus, vt gratos ſe & memores ſummi illius ſacrificij Chriſti exhibeant: & hoc ſacrificium latiſſimè patet, & pertinet in omne officium Chriſtianæ vitæ: præcipuè cernitur in laudibus Dei, & gratiarũ actione, fundit tamen ſe in omnes rationes & vſum Chriſtianæ religionis: iuſtitiæ laudẽ continet, animi humilis, & de ſe ſentientis timidè, verecundè, & horridè, rationem maximam habet. Si quis intelligit ſuper egenum & pauperem, ſi colligationes impietatis diſſoluit, ſi ſimplici & mundo corpore

Pſalm. 58.

Eſai. 1.

se munit, si didicit malum cogitationis ab oculis, manibus, & pedibus auferre: si benefacere, quærere iudicium, subuenîre oppresso, iudicâre pupillo, defendere viduam nouit, hoc est, si Christũ & Christi vitam, & Christo & Christi gloria induere studet, tùm cum Diuo Paulo sentîre potest, quàm hijs sacrificijs optimè placatur Deus. Et q̃ gratũ hoc sacrificij genus acceptumq; Deo sit, non Euangelium solùm, non singuli ferè Psalmi, non omnes Prophetæ tantùm clarissimè prædicant, sed ipsis etiam Gentibus cognitũ fuit: extat enim in Isocrate suauissimo authore suauissima sententia, quæ non ex Rhetorum officina, sed ex Esaiæ schola sumpta videri potest: verba eius hæc sunt. Hoc sacrificiũ optimũ & summũ Dei cultũ esse puta, si teipsum optimũ virũ iustissimũq; præstiteris: certior enim spes est, tales viros quoduis bonũ à Deo cõsequuturos, q̃ qui crebra sacrificia faciunt, crebrasq; mactant victimas. Tertiũ sacrificiũ, quod soli sacerdotes sibi vendicant in Missa celebranda, in Scripturis non inuenio, nec quisq̃ antè inuenit, nec vnq̃ inuenturus est. In ministrando fideliter alijs, sacrificium Deo faciunt, quod quisq; facit etiam in suo

Isocrates.

Sacrificium Missę non inuenitur in Scripturis.

in ſuo vitæ munere: ſed cùm illi ſoli comedunt, ſi tùm dicunt, quòd ſacrificium faciunt pro viuis & mortuis, magis q̃ Laïcus ſacrificiũ facit p̃ ſacerdotibus cũ ille comedit, hoc totũ eſt extra Scripturã, extra exemplũ Apoſtolorũ, extra vſum & conſuetudinem purioris Eccleſiæ, extra etiã omnem rationẽ Papiſtici regni: nam lege Rainerũ illũ qui Pantheologiã ſcripſit, hoc eſt, qui vniuerſam ſentinã Papiſticæ fæcis exhauſit, nè vnã quidẽ rationẽ habet, qua vel externum ſacerdotiũ, vel ſacerdotale ſacrificiũ muniat. Et Thomas etiam, relicta Pauli ſchola, iudaïzat: reliqui, quaſi iàm facto iudicio, cæcã conſuetudinem & Papam (En eccleſiam plurimorũ ſacerdotũ) arbitros ſumunt, ſecurè cõpromiſſum faciunt. Si quis prouocet à Papa & conſuetudine, ad iudiciũ verbi Dei, videte quomodo õnes ſacerdotes, ſi nõ apertis verbis, tamen, (vt Demoſthenis verbis vtar) καὶ σωμασι, καὶ χρήμασι, καὶ ναυσι, καὶ πᾶσι, obſiſtunt & repugnant. Nam quis eſt eorũ, qui non vehementèr perturbaretur, ſi ſacerdotiũ externum, iudicio verbi dei, aut caderet aut ſtaret? Verùm nos quod inſti-

Rainerus Pantheologiæ ſcriptor.

Thomas Aquinas.

Demoſthenes.

1. Et corporibus & pecuniis, & nauibus & rebus omnibus.

tuimus, omnia nomina noui Testamenti Christi colligamus, quibus sacrificiũ & sacerdotium appellàtur. Prætеribo (vereor) multa, sed illa relinquam sacerdotibus, vt causſam suã defendant: diligentèr tamen, quod potero, circumspiciam, si vel minimũ verbum expiscâri queam, quod hoc sacrificium & sacerdotiũ defendat. Cogor Græca Latinis interponere, quod inuitus facio, & rarissimè facere soleo: sed hoc iàm instituo, nõ vt me Græcis verbis ostentem, sed vt veritatem luminibus suis ostendam. Et profectò, qui ad hanc causſam õnibus præsidijs Græcæ linguæ destitutus accedit, negotium sanè insolens & ineptũ sibi sumit. Itaq; si mihi controuersia esſet, cum aliquo de hac ipsa re, poscerem mediocritèr doctũ: nam ἄμυσον hanc turbam turbarũ plenã penitus reijcio. Sacrificiũ illud quod nostri sacerdotes solis sibi arrogant, & quod illi certis finibus describunt, continetur sub vno horũ nominũ, aut (opinor) in Scriptura sedẽ non habet: ἱλασμὸς, θυσία, προσφορὰ, δῶρα, λειτουργία, προσευτέριον, διακονία, οἰκονομία, ἐπισκοπή, προσεύχειν, εὐλογεῖσθαι, ἱερατεύειν. Si sacrificium sacerdotale,

1. Indoctam, rudem, Musis non initiatam.

tale, aut ſacerdotiũ ſacrificabile, nõ certã ſedẽ in vno iſtorum nominũ habet, vereor nè dignũ ſit vt deturbetur è poſſeſſione q̃ occupâre ſtudet in libro vitæ, & cogatur recipere ſe in ditionẽ humanæ doctrinæ, & in oras Iudaïcæ nationis, vndè totũ, quicquid eſt, profectũ eſt. De hijs õnibus ſeparatim dicemus, vbi videbimus triplicẽ litem ſacerdotibus intendi. Primùm Chriſtus ipſe, interdicto acturus eſt, ne illi inferatur iniuria: cum quo opinor vel omnibus ſacramentis contendere non audent ſacerdotes. Tùm Chriſtiani omnes in ius ſacerdotes vocabunt, quòd in ſuas poſſeſſiones tàm temerè irruunt: vrgebunt etiam Iudæi, vt vindicent quod ſuum eſt, qui ſi vehementius inſtabunt, profectò ſacerdotium noſtrum præcipuis ſuis ornamentis & præſidijs denudabunt: ſacerdotium enim noſtrum cum Leuitico, propinqua ſocietate coniungitur, quod facilè videbit, qui vtraq; ſacerdotia in Pantheologia Raneri collata inter ſe conſiderabit, niſi quòd noſtrum ceremonijs ſuperat, in qua re author ille vehementèr iactat: ſed cominùs contẽdamus. Continet ne ἱλασμὸς

Lis triplex ſacerdotibus intenditur.

ἱλασμός. i. propitiatio.

Ioan. epiſt. 1. 2. i. & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolũ ſed etiam pro totius mundi peccatis.

ſacerdotium veſtrũ? Interdicit hoc Chriſtus: nam ſoli Chriſto ἱλασμὸς, in Scriptura tribuitur: ait enim Ioãnes Epiſtola. 1. 2 καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου. Hic locus, περὶ ὅλου τοῦ κόσμου, planiſſimè refutat impietatẽ Thomæ, qui in cruce dicit ſatisfactũ eſſe p̃ peccatis originalib⁹, in Miſſa verò ſatisfactum eſſe pro delictis quotidianis mortalibus. Sed qui nõ audiunt vocem Domini, ibunt poſt inuentiones ſuas.

Ioan. epiſt. 1. 4 Miſit filium ſuũ vt eſſet propitiatio pro peccatis noſtris.

Rom. 3.

Pſal. 129.

Ioannes iterùm Cap. 4. ait, ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἱλασμὸν, περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Et Paulus ad Romanos. ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως, ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Et Pſalmo, ὅτι παρὰ σοὶ ἱλασμός ἐστι. Et hanc rem conſequũtur ſemper tres res, ſolius Chriſti Ieſu propriæ, ἔλεος, ἀπολύτρωσις, καὶ ἄφεσις: Itaq̃, aut conticeſcant hîc ſacerdotes, aut verbum vnum proferant, quo hîc ius aliquod vendicent. θυσία nè illud ſacrificiũ, quod ſoli ſacerdotes poſſidêre cupiunt, ſeparatum ab alijs hominibus? Negat Chriſtus, negant omnes Chriſtiani, negant etiã

ἔλεος, ἀπολύτρωσις, καὶ ἄφεσις. i. miſericordia, redemptio, remiſſio

θυσία. i. hoſtia victima.

Iudæi.

Iudæi Christ⁹, teste Paulo, ἀυτὸς δὲ μίαν ὑπερ ἁμαρτιῶν προσενέγκας, θυσίαν εἰς τὸ διηνεκὲς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ. *Negãt etiã Christiani õnes, duobus clarissimis testibus Paulo & Petro: Paulo,* παρακαλῶ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ: παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν: *planissimè ad Hebr.* τῶν δὲ εὐποιΐας, καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε, τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός: *et Petro,* ἱεράτευμα ἅγιον, ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας. *Iudæi & Gentes nullũ verbũ tritius habẽt q̃ θυσίαν: latiùs ergò patet hæc vox, & in plures res pertinet, q̃ vt soli priuato sacrificio sacerdotum seruiat. Imò hoc libentèr discerẽ ab omnibus sacerdotibus, vbi vel semèl θυσία in tota scriptura non perduci, sed vel torqueri possit ad tuendũ eorũ sacrificium.* προσφορὰ *etiã Christi & omniũ Christianorũ, nusq̃ sacerdotis nostri priuatũ sacrificiũ significat. Christi, ad Ephe.* παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπερ ἡμῶν προσφορὰν. *Ad Hebr. sæpiùs: Gentium cooptatio in Christi religionẽ* προσφορὰ *à Paulo dicitur,* ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

Hebr. 10. Hic vero vna pro peccatis oblata victima in perpetuum sedet ad dexteram Dei.

Rom. 12.

Ad Hebr. 13.

1. Pet. 2.

προσφορὰ. i. oblatio.

Ephe. 5. i. tradidit seipsũ pro nobis oblationem.

Rom. 15. i. vt oblatio gentium fiat accepta, sanctificata per spiritum sanctum

Si

Si ſacerdotes aliquid ex hoc verbo corradere poſſunt ad cõſtituendũ ſuum ſacrificium, adferant ipſi, ego nihil quidem reperio, niſi fortaſſis ad Iudaiſmum deficere vellem, vbi hoc verbum eſt tritiſſimum.

δῶρον. Munus Donum.

δῶρον *propriam ſedem in ſacrificio nullã habet, diuertit tamen aliquandò hùc, non hîc perpetuò habitat. Et Gentibus potiùs ac Iudæis, quàm Chriſto & Chriſtianis cũ ſacrificiũ ſignificat, ſeruit: vt de Magis illis,* προσήνεγκαν αὐτῷ δῶρα: *&*

Matth. 2. & 5. 1. Obtulerunt illi dona. Hebr. 5.

Mathæi. 5. ἐὰν οὖν προσφέρῃς τὸ δῶρον σου: *& ad Hebræos,* ἵνα προσφέρῃ δῶρά τε καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν. *Itaq́, ſi ſacerdotes hîc aliquid habent, ex Gentibus & Iudæis totum hoc illis commodatum eſt.*

λειτουργία. Miniſterium.

περὶ λειτουργίας *iàm dicendum eſt, in quo verbo, magnam ſpem ponunt ſacerdotes noſtri, ſed falſa illorum ſpes eſt: nullum verbum ſpargit ſe fuſiùs, nec coarctâri ſanè vult angustijs & obſcuritate ſacrificij ſacerdotalis, quod in ſcriptura locum nullũ habet. Hoc verbum* λειτουργία *à Gentibus ad Chriſtianos, & è Repub. in Religionem dimanauit: Reipub. verbum eſt,*

Iſocrates. περὶ εἰρήνης. *vt in illo,* περὶ εἰρήνης *Iſocratis:* δημοτικω

τερος

τέρας εἶναι νομίζετε, τὰς τὰ τῶν πόλεως δὴ ἀνεμομένους, τῶν ἐκ τῆς ἰδίας ὑμῖν λειτουργούντων. 1. *Qui ex suo Rẽpub. administrant. Et* λειτουργία *sic olim in Repub. propriam sedem habuit, vt qui illud nomen ad religionem transtulerint, Demosthenis reprehensione nõ caruerint: cõtrà Leptinẽ enim ait,* ὅτι δ' οὐκ ἐστὶ ταῦτο ἱερῶν ἀτέλειαν ἔχειν καὶ λειτουργιῶν, ἀλλ' ὅτοι τὸ τῶν λειτουργιῶν ὄνομα, ἐπὶ τὰ τῶν ἱερῶν μεταφέροντες ἐξαπατᾶν ζητοῦσι, λαβὼν ἐγὼ παρασχόμαι μάρτυρα. 1. *Quod verò non idem sit rebus sacris & publicis administrationibus immunitatem dari, & quòd hij, qui hoc nomẽ τῶν λειτουργιῶν ad res sacras transferunt, reliquos decipere conentur, ipsum Leptinẽ testem proferre possum. Non sum nescius tamen hoc verbum concessisse in religionẽ apud vetustissimos Oratores: sed Rhetorum spatia relinquamus, & in scholam Iesu Christi nos & nostram disputationem omnem recondamus.* λειτουργία *in scriptura accommodat se ad omnes ferè personas & res. Christus redemptor noster* λειτουργὸς *vocatur, vt ad Hebræos* τῶν ἁγίων Demosth. πρὸς Λεπτ. Ad Hebr. 8.

i. sanctuarii minister. ων λειτουργὸς: *refertur etiam ad Angelos, vt in Psalmo*, λειτουργοὶ αὐτοῦ οἱ ποιοῦντες τὸ θέλημα αὐτοῦ: *Et ad Hebræos*, ἀλλὰ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα, *Reges etiam & Magistratus hoc nomine appellãtur, vt apud Paulũ*, λειτουργοὶ γὰρ θεοῦ εἰσιν. *Prædicatores etiã verbi, vt*: εἰς τὸ εἶναι με λειτουργον Ἰησου Χριστου εἰς τὰ ἔθνα. *& ad Phi.* σπενδομαι ἐπι λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμων: *in quo sensu, vt õnes docti sentiunt, capitur locus ille in Actubus*, λειτουργούντων δέ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. *Præterea, curâre res ad victũ quotidianũ necessarias* λειτουργεῖν *dicitur, vt apud Paulũ*, εἰ γὰρ τοῖς πνευματικοῖς αὐτῶν ἐκοινωνησαν τὰ ἔθνη, ὀφειλουσι καὶ ἐν τοῖς σαρκικοῖς λειτουργῆσαι αὐτοῖς: *quo nomine appellat Paulus Epaphroditũ*, λήτουργον τῆς χρείας μου: *et collectionẽ in subsidiũ pauperum Christianorum vocat Paulus* λειτουργίαν. *Postremò, Iudæorũ sacrifici* λειτουργουντες *dicebantur, vt ad Hebræos*, Πᾶς ἱερεὺς ἕστηκε καθ' ἡμέραν λειτουργων *Nunc verò, cùm ad nostros sacerdotes accedo, & cùm diligentèr circũspicio, an hoc verbũ* λειτουργεῖν, *quod diffudit se ad omnes*

Ps. 102. Ad Hebr. 1. Ad Rom. 13. Ad Rom. 15. Ad Philip. 2 Act. 13. Ad Rom. 15. Ad Phil. 2. Ad Cor. 9. Ad Hebr. 10.

nes ferè res, aliq̃ nè minimã partẽ ſui, trãſfudit etiã ad hoc ſacrificium pro viuis & mortuis, planè hæreo, nec quicq̃ dicere habeo. Quãobrẽ, ſi ſacerdotes noſtri aliũ locũ ſcripturæ, præter ea quæ à me tacta ſunt, proferre poſſunt, aut mea nõ rectè introducta probâre queũt, & ſine moleſtia audiã, & ſine rubore diſcã: ſin verò non poſſunt, ſed relictis tot manifeſtis & limpidis ſcripturæ fontibus, in lacunas humanæ cõſuetudinis traducere nos velint, planè oſtẽdunt quid volunt, & q̃ doctrinã mundo tradũt, & quẽ authorẽ ſequũtur, & quòd verbis ſcripturam & Chriſtum, re ipſa humanam doctrinã & Papam defendunt, manifeſtò declarãt. Itaq̃, ſi Chriſtianis hominib⁹, hoc ſacrificiũ tãtoperè cõmẽdãt, aut ex Chriſti actis & cõmentarijs illud ꝓferãt, aut cæteris deſinant maledicere, qui vndè nobis ortũ ſit oſtendere laborant. Verba quæ ſequũtur διακονία. πρεσβυτέριον, οἰκονομία, ἐπισκοπὴ, προεσβεύειν, ὑποδιδόναι, hæc ſingula officiũ ad inſtitutionẽ vitæ, non ſacrificium ad remiſſionẽ peccati ſignificant. διακονία nomẽ obediẽtiæ & diligẽtiæ eſt, ꝓtinet verò in õnes ferè perſonas. Chriſtus,

διακονία. Miniſterium, publicum munus.

διακο-

διακονὸς πολιτομῆς dicitur, & Magistratus διάκονοι θεοῦ: consistit tamẽ hæc vox potissimùm in prædicatione Euangelij Dei: vt Paulus ad Ephesios, διὰ τὸ εὐαγγελίου οὗ ἐγενόμην διάκονος: & in Actubus, ἡμεῖς δὲ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν. Exempla infinita ferè in Paulo sunt. διακονία etam pauperum prouisio est, vt planissimè patet ad Corinthios: ad fœminas quoq; pertinebat, quod Paulus ad Romanos, & Lucas in Actubus manifestò declarant. Nostram autem nũc in Ecclesia διακονίαν, si Paulus reuiuisceret, opinor non agnosceret: histrionicæ scenæ, quàm Ecclesiæ Dei multò aptior est: ità omnes res deflexerunt è recto cursu suo. Verùm ad sacrificium constituendum, vel ipsis sacerdotibus iudicibus, qui hoc totum sibi arrogant, nihil confert διακονία. Πρεσβυτερίου nomen dignitatis plenum est: & propterea à iniquissimè ab omnibus Episcopis comparatum est, quorum culpa, aditus facilis indignissimis semper viris ad tantam dignitatem patuit. Si Presbyteri nostri in Pauli schola se continuissent, quam ipse aperuit in epistolis

Rom. 15. i. minister Circumcisionis.
Rom. 13. i. ministri Dei.
Ephe. 3.
Actu. 6.
2. Cor. 8.
Rom. 16.
Actu. 6
Πρεσβυτέριον. Ordo presbyterorum. Presbyterium.

ad

ad Timotheum & Titum, in tantam vulgi reprehensionem non concidissent: sed, cùm spreta Pauli doctrina, in tabernam sacrificandi sese abdiderint, Missas suas ad nullum doctrinæ vsum, sed magnum pecuniæ quæstum cauponantes, mirum profectò non est, si nomen sordibus tàm fœdatæ officinæ dignum, apud plebem commeruerint. Et hæc scribo, non ad contemptum presbyterorum, quibus veram laudem & multiplicem honorem restitui exopto: sed ad notandum certũ genus hominum, qui presbyteros, in omnibus ignominiæ fœcibus indignè volutari, q̃ iusta reprehensione, vt emendentur, culpari maluerint. 1. Tim. 4. Titus. 1.

Οἰκονομία *fidelem diligentiam distribuendi multis, non priuatam facultatem seorsim sacrificandi pro alijs, significat. Si sacerdotes nostri fideles dispensatores sacramentorum, hortatu Pauli, esse voluissent, nõ nouum seorsim sacrificandi ritum excogitassent: sed alios expectando, communionem cœnæ in scriptura traditam obseruassent. Nisi cæci essent sacerdotes nostri, viderent totũ priuatum sacrificiũ suũ hoc vno verbo tolli, quòd dispensatores fi-* οἰκονομία. Dispensatio. 1. Cor. 4.

deles sacramentorũ esse debent. Sed quomodo dispensatores sunt, qui nullos expectant, quibus dispensent? Quomodo fideles sunt, qui sibi sumunt, quod aliys dispensare debent? Quid hîc respondebunt sacerdotes ego certè nõ video: sed libenter audire cupio. Libidinem sacerdotum, in permiscendo omnia, præuidebat Paulus, cũ vetat οἰκονομὸν τοῦ θεοῦ ἀυθάδη εἶναι, quæ vox priuatã quandã insolentiã notat, quã sacerdotes nostri, in tuendo extrà scripturã sacrificium suũ, mirificè præ se ferunt. ἐπισκοπὴ non tã nunc honoris, q̃ olim summæ vigilantiæ nomẽ fuit. Veteres Græci transferebant hoc nomẽ ad quãuis rẽ in qua vigiliæ & excubiæ positæ sunt: & propterea, nocturni speculatores, qui castra hostiũ visũt ab Homero ἐπισκοποὶ nominantur. Eâdẽ ratione Euripides, draconem Martis, præsidem Thebanorum fontium, episcopum nominat: quod nomen ἐπίσκοπος, si tàm diligenter permansisset in veteri sua vigilantia, quàm fœlicitèr peruenit ad summam in Repub. dignitatem, profectò nec Missa canã Domini, nec sacrificiũ cõmunionẽ populi, tã furacitèr è domo Dei abstulisset. Πρεσβεύειν nomẽ officij clarissimi existit,

Tit. 1. i. dispensatorem Dei audacẽ esse.

ἐπισκοπὴ. Visitatio. Episcopatus.

ἰλιαδ. κ.

Eurip. ἐν Φοῖν.

πρεσβεύειν. Legationem agere, gratiæ præesse.

existit, quo Paulus nonnunq; vtitur, sed solùm ad dignitatem prædicandi Euangelij: Ephe.6.
vt ad Ephesios, τοῦ εὐαγγελίου, ὑπὲρ οὗ πρεσβεύω ἐν ἁλύσει: *& iterùm ad Corin-* 2.Cor.5.
thios, ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν. *Intellige (Lector) qualis fuerit legatus Paulus, & quales nunc sunt legati Papæ, & responde bona fide, an non omnia comparata sunt ad pompam externi sacerdotij.* σπένδομαι *in sacrificijs veram sedẽ habet, sed* σπένδομαι. i.libor, paciscor.
hoc apud Græcos à Christo alienos: Paulus abutitur, ad significandũ vitæ suæ exitum, quem appropinquâre indies cernebat, & idcirco dicit, ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, 2.Tim.4.
καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε. *Quasi victima trador in manus sacrificorũ, vt corpus meũ mactent: & explanatiùs hãc rem tractat ad Philippen. vbi* σπένδομαι *capitur p oblatione corporis sui ad mortem, vt illustretur Euangelium Dei. Nostri sacerdotes non sacrificiũ esse volunt, cũ Paulo: sed sacrifici potiùs, cum Nerone: sacrificantes sæpissimè eos, qui lucem veritatis & euangelij propagâre solent: itaq; non ex hoc verbo* σπένδομαι, Philip.2.
sacerdotes nostri sacrificium suum statuere volunt, cùm non Paulum in sacrificio,

sed persequutores Pauli in sacrificando, ad imitationem sibi proposuerunt.

Reseruaui ad hunc locũ ea verba scripturæ, quæ videntur nominatim tueri externũ sacerdotium, & sacrificiũ, & hæc sunt, ἱερουργεῖν, ἱερὰ ἐργάζεσθαι, ἱερατεύειν, ἱερατεία, ἱεροσωκ, ἱερατευμα, ἱερθυς. Prima vox ἱερὰ ἐργάζειν, non ad sacrificium, sed prædicationẽ Euangelij solũmodò refertur: & semel vtitur Paulus hoc verbo, inducens seipsũ, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ. Si nostri sacerdotes sacrosancto munere prædicãdi verbi Dei sedulò fungerẽtur, libẽtèr eos cũ Paulo ἱερουργοῦντας. 1. sacrificos appellaremus: & tũ omnes hoc nomẽ, sacrificium, non ad opprobriũ, sed ad laudẽ vsurparent: verũ nunc, cùm non in verbo Dei sacrifici esse volũt, ad exemplũ Pauli: sed in Missa sacrifici dici cõtendunt, secundũ præceptũ Papæ, vt patet, cũ admittuntur in sacerdotes ab Episcopo: profectò, mirum non est, cũ illi officium rectè sacrificandi deserunt, si reliqui nomen sacrifici honesti omittunt. Sint sacrifici, vt debẽt: & vocentur sacrifici, vt volunt. Paulus Euangelij, Papa Missæ sacrificos proponit: nostri

ἱερὰ ἐργάζειν. i. sacra peragere, sacris operari.

Rom. 15. Operantem euangelio Dei.

Rationale Diuin. lib. 2. de sacerd.

nostri igitùr sacerdotes ostendant, Pauli nè an Papæ sacrifici existant. Ιερϑυς *continet in se reliqua verba quæ nuper proposuimus, de quo fusiùs nobis disserendũ est. Multi boni viri cõmiserantur depositam hanc & iacentem conditionem Ecclesiæ Christi, in quã rara presbyterorum dignitas, rarior ministrorum sedulitas, rarissima dispensatorum fidelitas, sed sola externa sacerdotum vanitas confluxit. Quid est quòd sacerdotes dici volunt: ministri, dispensatores, legati, famuli, presbyteri, aut non esse solent, aut non dici curant? Scriptura nè Christi, vocat eos sacerdotes, an ministros, & quæ sequuntur? vbi vocantur ministri verbi, & sacramentorum sacerdotes? Quid fit quod Paulus toties loquens de ministerio, nunquàm mentionem facit de sacerdotio? Quid fit quòd Ecclesia vestra cõtemnit omne fidele ministerium, & recipit solùm, & re & nomine, externum sacerdotium? An Paulus sui oblitus est? An Ecclesia, quæ nunc nominatur, temerè hoc facit? Profectò, Paulus diuino consilio sacerdotium omittit, & vestra Ecclesia papistico instituto sa-* ἱερεὺς.

ἱεροσύνης tria genera in scriptura.

cerdotium retinet. Tria genera ἱεροσύνης in scriptura describuntur: Leuiticum, Iesu Christi, & omnium Christianorum. Leuiticum in libris Mosis instituitur, in nouo Testamento passim memoratur, vt primo Lucæ, & multis alijs locis. Sublatũ totum iàm est, teste Paulo, μεταθεμένης τ ἱεροσύνης &c. nam Christi splendor has vmbras in nihilum disputit. Quòd verò nomẽ sacerdotij, à ministerio Euangelij separaretur, planissimè docet Ezechiel Propheta loquens de sacerdotibus. Cessare faciam vt vltrà non pascant gregem meum: & posteà, Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid. &c. Et Oseas etiam Propheta: Quià tu scientiam repulisti, repellant te, nè sacerdotio fungaris mihi. Sacerdotes in veteri Testamento persequuti sunt semper Prophetas, & verbum Dei: sacerdotes in nouo Testamento occiderunt Christum, Apostolos, & verbum obscurabant, vt suas traditiones defenderent. An sacerdotes nostræ etiam ætatis, plus quàm cæteri omnes, pugnant contrà aperta mandata Euangelij, nunc nõ disputo: sed hoc video, odiosum nomen sacerdotij, quod sæpissimè repug-

Luc. 1.

Ezech. 34.

Ose. 4.

Matth. 5.

repugnabat Euangelio, in ministerio Euãgelij nunq̃ vsurpari. Si falsum dico, proferant vnã scripturam ex tot locis Pauli, & me reprehendant: si non possunt, quarè ministeriũ, Pauli verbum, omittũt, & Iudaicum verbum a Paulo in ministerio contemptum introducunt? Quàre nomen quod solùm à Paulo præteritum est, solùm ab illis receptum est? Ministerium contemnunt, quod Paulus tradit: & sacerdotium recipiunt, quod Paulus contẽnit. Scio q, omnes Christiani sacerdotes sunt, sed hoc posteà, & quid ad hanc rem? nisi vt sacerdotes nostri maiorem suam improbitatem ostendant: nam & Paulum contẽnunt, dùm sacerdotium ministerio adiungunt: & omnes Christianos fraudant, dùm quod omnes sunt, illi soli dici volunt. Itaq3, qui sacerdotium restituunt, quod scriptura tollit, & Dei sapientiæ suã anteponunt, & Titanũ more θεομαχίαν quandã instituũt. Christi sacerdotiũ claris verbis ponit epistola ad Hebr. ὁ δὲ διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην. *Nec sacerdos solũ, sed princeps sacerdotũ existit Christus. Quorũ princeps sacerdotum?*

An tantummodò horum qui rasi & victimarij sunt? Absit. Nã tũ soli illi acquisiti sunt sanguine Christi, soli essent sancti, soli electi: sacrilegi nõ sacrifici sũt, si sic sentiunt: quanq̃ sic eos sentîre docet Magister ille sententiarum: nec hanc doctrinam respuunt illi, sed arrogant sibi, iniuriam facientes Christi sacerdotio, in quo omnia sic perfecta, impleta, & concluſa sunt, vt non solùm vetus omne antegreſſum sacerdotium ceſſaret, ſed nullum nouum in posterùm ſacerdotiũ ſuccederet, præter illud in Scriptura deſcriptum, quod lacte (vt Petrus ait) τοῦ λογικοῦ enutritum, ſpirituales non aſpectabiles victimas, Deo patri per Chriſtum offerret.

Lib. 4. ſentent. Diſt. 24.

1. Pet. 2.

Et hoc illud tertium ſacerdotium eſt, quod poſuimus, quod pertinet ad omnes qui Chriſti ſanguine acquiſiti ſunt: in hoc ſacerdotio eccè omnia facta ſunt noua, tẽplum, altare, ſacrificium, ſacerdos: templũ non ex lapide polito, ſed ex carne timore Dei conciſa extruitur: altare non ſplendeſcit igne, ſed ardeſcit amore: ſacrificiũ non viſibilis oblatio, ſed ſpiritualis victima exiſtit: ſacerdos non externas ceremonias, ſed

Templum.

Altare.

Sacrificium.

Sacerdos.

ſed internũ cultũ, qui propterea à λογικὸς a Paulo & Petro nominatur, ſequitur: qui hoc ſacerdotio fungitur, nõ amplius perreptat in terra, ſed totus euolat in cœlũ: & licèt concluſus ſit in terrenum gurguſtium, deducit tamen in terram cœleſte domicilium, in quo viuit non ille, ſed Chriſtus in eo: nec viuit tantùm, ſed regnat etiam, hoſtibus (Diabolo, peccato, morte, inferno,) ſuperatis. Qui ſubiectus hîc eſt, & non rex, ſacerdos Chriſti eſſe non poteſt: & propterea, ſcriptura ſacerdotũ Chriſti nunquàm (niſi fallor) mentionem facit, quin regis aut regni nomen ſtatim ſubdit. Hæc res maxima continet momenta, & eò diligentiùs hæc ipſa notaui loca. Petrus ſcribit ad Eccleſiam vniuerſam Dei, & ait, ὑμεῖς δὲ γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα. Ioannes in Apocalypſi, de Chriſto redimẽte nos per ſanguinem ſuum, καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ: & poſtea, ἐποίησας ἡμᾶς θεῷ ἡμῶν βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς. Et iterum ἀλλ' ἔσονται ἱερεῖς τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ χριστοῦ, καὶ βασιλεύσουσι μετ' αὐτοῦ. Idem etiã, ſed ſubobſcurè, habet Paulus: vbi dicit, εἰ γὰρ

Rom. 12.
1. Pet. 2.
2. Corinth. 5.
1. Pet. 2.
Apocal. 1. 5. 20.

Hebr. 9. ὑπομενομὲν καὶ συμβασιλευσομὲν: *Pati enim & offerre idem sunt, vt liquet ex epistola ad Hebræos. Iàm cupio audîre quid sacerdotes nostri dicere possunt. Si contendunt se esse sacerdotes externos per scripturam, quarè non contendunt se esse reges externos per eandem Scripturam? nam Euangeliũ nullum habet sacerdotem, quin eundem habet regem. Si falsum dico, reprehendant per scripturam, & vnũ locum Euangelij proferant, vbi sacerdotium à regno separatur. Vocâre se reges externos non audent: sed profectò eâdem ratione, qua sacerdotes externos se vocãt, & reges se vocâre meritò possunt: & cùm hoc scelus maximum esset, maius tamen committunt, quòd sacerdotes quàm reges nominantur. Nam si reges se esse dicerent, laderent tantùm maiestatem terrenam: cùm sacerdotium externum inducunt, Christi Iesu maiestatem violant, qui omne externum sacerdotium moriendo compleuit, resurgendo deleuit, & ascendendo nouum spirituale sacerdotiũ in cœlis & terris instituit. Qui externum sacerdotium reuocant, tanquàm Homerici dij, Christum è*

cœlo

cœlo detrudunt, mortem eius inanem arguunt, & humanum genus in Iudaïsmum reducunt. Diabolus grauissimus aduersarius constitutus est Christo. Christus liberauit nos a Iudaïsmi sacrificio: Diabolus nihil antiquius vnquàm habuit, quàm reducere hominem in eos laqueos, è quibus expediuit eum Christus: & propterea fundauit Papam, hoc est, externum sacerdotem regalem, vbi nomen Iudaici sacrificij propter inuidiam præteritum est, res tota cum accessione cumulatissima reducta est. Nam quis putabit Iudaïsmum sublatum esse? Quis putabit velum templi scissum esse, qui sacrificium Missæ, qui pro peccato populi ceremonias externi nostri sacerdotij cum Iudaïsmo contulerit? Nos multitudine superamus Iudæos, & signis & vmbris suprà omnẽ modũ abundamus. Iudæi sacerdotes, in tunicis, baltheis, & infulis suis peritissimi erant: nostri, signa infinita gerũt, quæ non intelligunt: & si quicquam intelligunt, nihil tamen sequuntur. Rasura crinium est depositio temporalium, albedo vestium lux verbi Dei, talâres vestes innocentia vitæ.

Iudei sacerdotes in signis & vmbris peritissimi.

Nostri sacerdotes innumera signa gerunt quę non intelligunt.

Vide

vide iàm, cùm vniuersi sacerdotes hæc signa gerunt, nihil tamen illis est (de plurimis loquor) rapacius, indoctius, fædius. Modò hijs signis, meris fucis & præstigijs, mundo noti esse possunt, quàm noti turpitudine & ignorantia sunt magno labore non curant. Signum doctrinæ retinent, doctrinam ipsam reijciunt: vestiuntur signis, denudantur virtutibus: Christus abstulit signa, vt lumen Euangelij splendesceret: illi reuocant signa, vt obscuritas Euangelium obrueret. Et profectò, ex quo tempore vox Euangelij conticuit in Ecclesia, mundus velùti surdaster factus, nihil requirebat præter nuda signa: Papalis strepitus compleuit omnes incredibili surditate, & qui surdi sunt, signis & nutibus tantùm commouentur. ô peruersam generationem! ô Diabolicam fraudem! Vitæ insolentiam non accuso, propter scelera perpetrata: sed Iudaïsmum illorum noto, propter signa reuocata, quorum signorum inuolucris, inscitia & improbitas sacerdotum teguntur, & eorundem signorum præstigijs, non oculi, sed mentes totius Angliæ illuduntur. Velum igitur Templi iterùm expansum

est,

est, vmbris iterùm, imò noctubus omnia circunfunduntur, atq; vt leuissimè dicam, velũ templi frustrà morte Christi scissum est, cùm omnia apud nos sunt iterùm signis & vmbris velatissima. Hunc Papæ Iudaïsmum antiqui Patres in spiritu viderunt, expressit autem manifestissimè Primasius, suprà locum Pauli de homine perdito, qui tollit se suprà Deum, sic inquiens: Sacramenta culturæ augêre se dicet homo ille: nam, & templum Hierosolymis restituet, & omnia legis ceremonialia restaurabit, tantùm vt Euangelium Christi dissoluat. Itaq;, si Papa sit externus ille sacerdos regalis, qui remoto sole Euangelij, has vmbras in Ecclesiam induxit, (quod ipse Papa non negat) quomodo & hij quoquè non sunt Papismi satellites, qui se contendunt esse externos sacerdotes? Vellem libentèr scîre, an alius sit externus sacerdos regius quàm Papa: sin verò ille sit, agnoscant sacerdotes omnes externi Papam, dominum & principem suum, cuius & nomen & imperium sequuntur. Si Coloniæ essem, hoc mihi omnes concederent: imò, si alitèr dicerem, in discrimen vitæ Primasius.

addu-

adducerent: nostri in Anglia Colonienses, non audent hoc verbis affirmâre, & tamen nullis verbis se possunt à Papismi defensione extricâre. Externi sacerdotes Colonienses Ἀρχιερέα *agnoscunt Papam: externi sacerdotes Angli Papam nomine reijciunt, & Christum* Ἀρχιέρεα *vendicant. Colonienses cum aliqua ratione, Angli sacerdotes contrà omnem scripturam hoc faciunt. Colonienses quod sunt, dici volunt, & Papam* Ἀρχιερέα *agnoscunt, quià successor Petri est, à quo sacerdotium fundatum est: Angli Christum externorum sacerdotum principem constituunt, cùm ille spiritualis sacerdotij, quod ad omnes sanguine eius acquisitos pertinet, author extiterit. Rapiunt ad constituendum suũ priuatum sacerdotium, quod propriũ est omnium Christianorũ: & quod propriũ est õniũ, quomodo potest esse priuatũ aliquorũ? Si solos se sacerdotes arrogãt, solùm Christum ad se pertinêre dicunt: si omnes sunt spirituales sacerdotes, iuxtà scripturã, cùr non se inter õnes numerant, sed à reliquis se separant, & vocant se solos externos sacerdotes, contrà õnem scripturam?*

Sacerdotes Colonienses.

Rainerus in Panth.

turam? Nã si una syllaba in nouo testamẽto est, quæ sacerdotiũ sacrificorũ exprimat, & non ad vniuersam societatẽ Christianæ religionis referat, iusta reprehensione tenear. In communi officio omniũ Christianorum, non in priuato ministerio quorundam sacrificorum sacerdotium cernitur. At quid dico? Oblitus ferè sum mei. Iàm inueni in Scripturis, vbi ministri sacerdotes vocantur. Iám habeo quo se defendant sacrifici: nam si sacerdotio priuato fungi velint, sacerdotes Iouis in Actubus habent, & sacerdotes Dianæ quos imitentur: Act. 14.
sacerdotes autẽ Christi in ministerio nullos proferre possunt. Hactenùs peragrauimus ea Scripturæ loca in quibus sacerdotium sacrificorum sedem habere potuerit: cùm verò non sedem, sed nè nomen quidẽ inscriptura habeat, miror qua audacia ministeriũ Euangelij, & re & nomine cõtemnunt: sacerdotiũ verò sacrificij, repugnante Paulo, suscipiunt. Ostendunt quem Deum sequuntur: Christũ quidẽ non sequuntur, nam audi manifestã scripturã: Nemo Heb. 5.
sibi honorem suscipit sed qui vocatus est à Deo: Christus, sacerdos summus, non semetipsum dignum censuit vt fieret

ἀρχιε-

Summus ſacerdos.

ἀρχιερεὺς, ſed qui loquutus eſt ad illũ dicens, Filius meus es tu, ego hodie genuite, tu es ſacerdos in æternum. Noſtri ſacerdotes impudentiſſimi ſunt: nam Scriptura nunquàm alloquitur eos nunquàm mandat ſacerdotium illis: ſed illi ipſi non vocati, in nouum ſacerdotij honorem ſemetipſos intruſerunt. Chriſtus Scripturam habet, & licèt filius Dei eſſet, obedientiam tamen didicit, nec ſacerdos fit, niſi euocatus, voce patris: noſtri ſacerdotes Scripturam nullam habent, ſed contempto miniſterio Pauli, ſpreto exemplo Chriſti, glorificant ſemetipſos vt fiant ſacerdotes: non habentes vocem Domini, cui obediant: ſed

1. Corinth. 9.

καὶ ἀνθρωπον, vt diſertè Paulus loquitur, vniuerſum ſacerdotium ſuum architectantur. Nam, da mihi doctiſſimum ſacerdotem, experîre, an audeat committere cauſam ſacerdotij externi, iudicio verbi Dei, ſemota omni humana doctrina: accipe Euangelium Chriſti, ſummoue reliquos libros omnes: dic, cùr ſtas ſolus in altari non diſpenſans aliis? dic ſcripturam, cuius authoritate tu ſacrificator es prò viuis & mortuis? dic ſcripturam, vbi eſus miniſtri

ministri est sacrificium, potiùs quàm alterius hominis? Si regia Maiestas accipiat in manus Euangelium, & iubeat sacerdotes vt ostendant loca vbi explicantur sacerdotium externum & Missa, quæ duæ res ministerium verbi & sacramentorum aut sustulerunt, aut obscurarunt, quid proferrent sacerdotes? Proferant quid possunt. Profectò tenebræ externi sacerdotij non possunt ferre aspectum lucis Euangelij. Iudicium scripturæ cum Christo abijciunt, sententiam Ecclesiæ suæ cum Papa recipiunt, cæcam consuetudinem, non lucem verbi DEI sequentes. Petrus monet eos, vt parati 1. Pet. 3.
sint ad respondendum cuilibet petenti: vide arrogantiam omnium Papistarum: Si simplex vir, qui omnia Christo & eius Euangelio tribuit: qui talis est de quo Psalmus loquitur, Qui in mandatis eius volet nimis: si hic (inquàm) veniat ad sacerdotem, & rogat, Quare sacrificat pro alijs? Quid sacerdos facit? Non respondet petenti, vt Petrus monet: sed cum conuitio traducit ad aliam rem, dicens: Quid tu Hæretice aut turbulen-

te contrà ſacrificium dicere potes? An tu ſapientior tot patribus? An tibi ſtulto iſta DEVS reuelat, & abſcondit tot ſapientibus? Aut refuta quod facimus, aut comproba quod dicimus. Reſpondet ſimplex vir, Nec vanæ peregrinationes, nec inanes indulgentiæ longis refutationibus tolluntur: verùm, ſi defenſores talium nugarum iubeantur adferre doctrinam DEI, tùm tenebræ illæ, admota luce, facilè diſpelluntur.

Papiſtæ faciunt, quemadmodum pueri ſolent colludere. Papiſta, vt ludificet totum mundum, abdit ſe in latebras: Chriſtianus quærit & interrogat, Vbi es Papiſta cum tua doctrina? ille in tenebris reſpondet, Hîc vel hîc ſum: Chriſtianus quærendo palpat, nec tamen inuenit: at reperto oſtio aperîre conatur, vt lux permeans omnes receſſus retegat, iubetquè vt accedat ad lucem: Papiſta clamat, Nolo oſtium aperîri, ſed tu ipſe inueni ſi potes: nam ſi in luce verſamur, nimis facilè me deprehendes, cùm palpando per te hoc nunquàm faceres.

Papiſta hoc iàm fert, lucem non tole-

rat,

rat, recludit ostium, tenebras quærit: nam si in luce verbi DEI hæc agerent, omnes hæ ludificationes citò frigerent. Eôdem modo, si sacerdotium externum veniret antè tribunal verbi DEI, vt redderet rationem eorum verborum, quibus consecrantur ab Episcopo omnes sacerdotes, (verba hæc sunt: Accipe potestatem offerrendi sacrificium Deo, Missamque celebrandi, tàm pro viuis quàm pro defunctis.) quid diceret sacerdotium externum? aut taceret, aut falsos testes Papam & humanam doctrinam adferret.

Vbi vestigium talis potestatis in tota scriptura? Adduceret loca de ministerio Euangelij & sacramentorum? Attendè Lector. Ministerium ponunt in Diaconatu, quod officium iàm re nullum in Ecclesia, nisi quoddam ludibrium DEI, totum simiacum & histrionicum. Sacerdotium autèm, (inquiunt) transit à ministerio, hoc est, à Paulo ad Papam, à scriptura ad humanam doctrinam. Quid dicemus? totum ordinem sacerdotalem, ex Aarone esse, vel ex Papa? Profectò

ex Christo consecratio eorum non est. Christus ministerium tradidit prædicandi verbi, & dispensandi fideliter aliis sacramenta: transire verò à ministerio ad sacerdotium Christus nunquàm instituit. Hic ordo sacerdotalis, religionem Christi propemodùm vniuersam sustulit: nam doctrinam nullam ferè tradit, sacramenta fideliter non dispensat, Missam pro Euangelij prædicatione diligenter celebrat, prò communi dispensatione sacramentorum solus sacrificat: signis Iudaïcis hoc sacrilegium obscurat, & inanibus præstigijs totum populum DEI ludificat. En religionem Ecclesiæ, quam ordo sacerdotalis ædificat.

Ordo sacerdotalis septemplici gradu cõstat. Quibus verbis? Si ridêre vis, vel potiùs deflêre Ecclesiam hijs ludibrijs ludificatam, lege Lombardum intèr omnes Papistas optimum, & doctissimum: vide quomodo compellunt Christum inuitum statuere hos ordines: Spiritum sanctum de cœlo in hos ordines deuocant: Quorsum? Vt inane nomen ordinis, cum solenni pompa ad nullum vsum celebratum,

4. Sentent. Dist. 24.

& De-

& Deum & hominem deludant. Nam ſpiritum ſanctum accipiunt, vt nihil omninò agant: & tùm ſpreto miniſterio verbi & ſacramentorum, quod Paulus tradit, ad ſacerdotium tranſiliunt, vbi Miſſam celebrant, hoc eſt, pro prædicatione Euangelij, pro diſpenſatione ſacramentorum, populum inanibus præſtigijs in ignorantia & falſa religione detinent.

Verùm, ſi Miniſter nunquàm ad Eccleſiam accederet, niſi eo animo, vt populum inſtitueret verbo DEI: vel vt populo diſpenſaret fidelitèr ſacramenta Dei, quod ſcriptura ſolùm requirit, melius actum eſſet cum Eccleſia Chriſti: nemo tùm auderet ſuſcipere nomen Preſbyteri, qui non doctus & honeſtus eſſet: cùm contrà, quàm diù Miſſa eſt illa religio, quam populus ſolùm veneratur, fucis iſtis cæcis ducibus Eccleſia Chriſti nunquàm exonerabitur.

Si verò ſacerdotes miſſâre & ſacrificâre pro alijs volunt, æquum eſt vt oſtendant qua authoritate hoc faciunt. Si Chriſti ſunt, Chriſtum authorem ſequantur: veritatem ipſam hoc eſt, verbum e-

ius proponant: errores humanæ doctrinæ non obijciant. Christus Iesus nihil facit, vel dicit, in toto Euangelio, quod non probat Scriptura: non adigit Christus Iudæos ad hanc difficultatem, vt illi improbent eius doctrinam: sed ille nullam doctrinam ponit, quam non ex Scripturis ostendit. Vetustissimi canones Apostolorum Græcè scripti, per Clementum æditi, iubent omnes Episcopos Ecclesiæ, vt consisterent intrà fines verbi Dei: sin alitèr, prædicunt, multas contentiones dissipaturas tranquillitatem Ecclesiæ: id quod cernitur planissimè nostris temporibus, cùm doctrina externi sacerdotij, κατὰ ἄνθρωπον constructa, diruit ædificationem Iesu Christi in Ecclesia. Hæc res tàm aperta est, vt tegi non possit: tàm impia est, vt defendi non debeat. Verùm ordo sacerdotalis, qui non Christum, sed Ecclesiam suam Deum habent, in cuius verba vncti omnes iurauerunt, qui cæcam consuetudinem optimam doctrinam esse ducunt, hìc certò scio, fremunt, murmurant, mussitant, patres contemptos clamitant: cùm illi potissimùm non patres solùm, sed pa-

κάνον πε.

trem

trem ipſum cœleſtem contemnunt: tragicis exclamationibus omnia complent, Scripturæ teſtimonijs nunquàm reſpondent. Et vide inſignia Papiſtarum, quibus notiſſimi ſunt. Obijciunt alijs ignorantiam Scripturæ, cùm illi ipſi ignariſſimi exiſtant: cognitionem linguarum, ſcientiam bonarum artium nec habent, nec amant: niſi aliqui inter eos ſunt, qui defecerunt à Scriptura ad humanam doctrinam, hoc eſt, à Chriſto ad Papam. Libertatem carnis alijs imputant: cùm natio ſacerdotum, otio, libidine, viſcerationibus, & ebrietatibus, ſuprà modum, diffluunt. Inſignia Papiſtarum.

Sacramentarios vocant, cùm illi ſoli fidelem vſum ſacramentorum ſuſtulerint, & humanas nugas in eorum loca ſuffecerunt: atqué læſi ſacramenti illos ſolos inſimulant, qui vſum ſacramenti ad inſtitutionem Chriſti reuocant. Contemptores veteris Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum alios arguunt: cùm illi ipſi ab vſu veteris Eccleſiæ, à doctrina ſanctorum Patrum longiſſimè diſcrepant. Si quid elicere poſſunt ex Patribus, quod

primo aspectu videatur Papismum, hoc est, Papæ doctrinam defendere, in promptu, in memoria, in scripto habent: aliàs facile omittunt.

Sanctissimus Ioannes Euangelista, plus quàm debuit, Angelo tribuit, & propterea reprehensus est: nostri sacerdotes reprehendi nolunt, si eam fidem Doctoribus adiungunt, quam nullus Doctor comprobat, sed omnes ad vnum condemnant: consilium Doctorum, in Scripturis interpretandis, omnes amplexantur: in fundanda noua aliqua doctrina, absque aperto testimonio canonicæ Scripturæ, authoritatem Doctorum, nulli Doctores imitantur. Tu credis Doctoribus absque scriptura, ego non credo: vter nostrum rectiùs facit? Referamus hanc litem, si vis, iudicio ipsorum Doctorum. En, quem Doctorem ego adfero pro me.

Augustinus ad Hieronymum, de authoritate canonicorum Scriptorum sola sequenda scribit, & subdit hanc sententiam de Doctoribus: Alios autem ità lego (inquit Augustinus) vt quantilibet sanctitate, doctrinaqúe præpolleant, non

Augustinus.

non ideò verum putem, quià ipsi ita sen-
serunt: sed quià mihi, vel per illos au-
thores canonicos, vel probabili ratione,
quòd à vero non abhorreant, persuadêre
potuerunt. Et de Cypriani summi Doc-
toris authoritate, audi etiam quid dicit
Augustinus: Huius epistolæ authoritate Augustinus.
non teneor, quià literas Cypriani, non vt
canonicas habeo, sed eas ex canonicis con-
sidero: & quod in eis diuinarum scriptu-
rarum autoritati congruit, cum laude eius
recipio: quod autem non congruit, cum pa-
ce eius respuo. Age tu vicissim, quisquis
es, qui Doctoribus tantum tribuis, etiam
si nullam scripturam attulerint: profer
vnum Doctorem, qui tantam authoritatẽ
Doctoribus vnq̃ tribuit: si non potes, cùr
stultè hoc tribuis illis, quod ipsi prudentèr
adimunt sibi? cùr Doctoribus inuitis, &
recusantibus, sine aperta scriptura adhæ-
res: manifestum autem mandatum Chri-
sti, infidelitèr dispẽsando corpore & poculo
eius alijs, sine vllo metu relinquis? Cùr
Doctorem inuitum, & coactum, ad te
tantopere trahis: à Christo te inuitante,
& sequente, libentèr deflectis? Sed hoc

Papiſtarum mos quotidianus.

quotidianum eſt omnibus Papiſtis, in diuerticulis potiùs humanæ doctrinæ conſiſtere, quàm rectam Chriſti viam in Scriptura præmonſtratam perſequi. Et ſi vis habêre certiſſimum ſignum, quo prodit ſe ſemper hæc natio, auſculta quam vocem in doctrina ſua probanda vſurpat. Quid ait? Chriſtus ſic loquitur, Sic verbum Dei docet, Sic Paulus? nequaquam: ſed, Hoc ſemper Eccleſia præcipit, Patres ità tradiderunt, Prudentiſſimi viri ſic ſentiunt, Hæretici ſoli negant, Catholici hoc tenent. Et hoc nomine Catholici, quomodo nunc abutuntur homines? Produxerunt in eum locum, in quo ponitur apud

Sophiſtę.

Græcos nomen Sophiſtæ: & vtriusquè rei perſimilis eſt ratio, niſi quòd Sophiſtæ conceſſerunt in infimam conditionem Reipublicæ: Catholici verò noſtri myſterium

Catholici.

habent in hoc ſuo nomine, quatenùs clanculum referunt & ſe & nomen ſuum ad eum paſtorem, qui ſe ipſe Catholicum & οἰκουμενικὸν nominat. Quamobrem, nihil aliud nunc recinit hoc nomen Catholicum, quàm ab Euangelio Chriſti, ad imperium Papæ defectorem eſſe. Lucem ver-

bi

bi Dei odêrunt bubones isti Babylonici: nec tenebras sacerdotij externi splendori Euangelij cõmittere audent. Et quià malè faciũt, ad lucẽ non accedunt, vt ait Ioan: si audent, seponant ad tempus reliquos omnes libros, & hoc sacerdotium externum, cum suo sacrificio, per scripturam solã, probent. Impium est, quòd spiritum sanctum constituunt doctorem nouorum dogmatũ, in cultu diuino, præter ea quæ sunt tradita in testamento Christi, cùm Christus pollicetur Spiritum sanctũ nullam aliam doctrinam allaturum, prætèr eam, quam à Christo audierit. Cùm hoc à Christo dictum est, testamentum Christi non dùm per spiritum sanctum scriptum est: nã scriba sacræ scripturæ spiritus sanctus est, testante Dauide, in hoc versu: Lingua mea calamus Scribæ velocitèr scribentis. Itaque, aut testamentum Christi imperfectum est testamentum, quod nemo dicere audet: aut testamentarij illi sunt, qui nomine spiritus sancti, nouam aliquam doctrinam huic testamento Christi superaddunt. Expressis igitùr verbis huius Testamenti comprobetur externum

Bubones Babylonici.

Ioan.16.

Psal.44.

Papistę testamẽtarii.

num sacerdotium, quod summum in Christiana religione locum iàm occupat: aut Testamentarij sunt omnes sacerdotes, qui humanũ inuentũ magìs quàm Christi testamentũ in quotidiano vsu habent. Et ad hunc modum sacerdotes nostri, cùm rationem pro suo sacerdotio non habent: cùm Doctores absq; scriptura, nihil conuincunt: cùm omni scriptura destituũtur: vide quo impudentiæ prorũpunt. Subornãt spiritum sactum contrà Christum, vel potiùs condemnant spiritum sanctum negligentiæ, quòd perfectum Christi testamentum non scripserit: & propterea à de cœlo, pro arbitratu suo, spiritum sanctum deuocant, vt quod omisit negligentèr in scriptura, hoc restituat diligentèr in Ecclesia. Romanæ religionis assertores, cùm fingunt & comminiscuntur spiritum sanctum authorem esse cuiusvis instituti sui, quid aliud docent, quàm quòd furiosa illa secta, siuè sentina Libertinorum, qui spiritu agitati & perciti, omnia nephanda perpetrãt, ex Papismi cloaca & fæcibus, quanta cunq; est, effluxerit? Libertini iactant spiritum, cum tàm proiecta tamen & effluenti

Libertini.

enti ſtoliditate, vt maxima eorum impietas maiori ſi fieri poteſt ſtultitia, facile cõuincatur: quod Ioannes Caluinus, vir omnibus ingenij & doctrinæ præſidijs inſtructiſſimus, eleganti libro ædito clariſſimè oſtedit. Romani iactant ſpiritum quoq;, ſed maxima cum aſtutia, & propterea à maiori ſemper purioris religionis iactura. Vt ſecta Romanorum, & Libertinorum, ſcelere & impietate conſpiret: Romani tamen longè ſuperant nomine ſapientiæ, vt Paulus ait, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ. Libertinos non prodat ſolùm, ſed refutet etiam propria ipſorum ſtultitia. Alij homines, cùm Chriſti verbum nec imperfectum dicere, nec nouum ſuperaddere manifeſtò audent, aliam viam affectant, qua humanam doctrinam in ſedem verbi D E I perducant. Clamant, Euangelium Chriſti velatum & obſcurum eſſe, & propterea à omnia referri debêre ad iudicium humanæ doctrinæ: quo conſilio, Romana Eccleſia diligentiſſime vſa eſt, cùm vniuerſa decreta Põtificum, & tota ſchola Quæſtioniſtarum, ex humanis ſcriptis, non diuinis conſtent. Et ne vl.ᵘ locus libidini Papæ, cõtrà Chriſtum, Caluinus.

Dist. 19. ſtum, reliquus eſſet, cautum eſt, vt acta Epiſcopi Romani inter canonicas Scripturas habeantur. Et propterea ſacerdotes noſtri, cùm vrgent Eccleſiæ authoritatem ſine aperta ſcriptura, prætendant quod velint, Papæ profectò negotium agunt: cùm Papa nullo alio prætextu defendi poteſt, nec vnquàm anteà defendebatur, niſi cùm humana doctrina in locum ſcripturæ collocatur. Et vide aſtutiam: verba Chriſti agnoſcunt, ſed ſenſum verborum non intelligunt. Et vbi quærunt ſenſum? In verbo Dei? Non, ſed in verbo hominis, quaſi ſpiritus ſanctus planiùs loquatur in Pigio, quàm in Paulo: & hoc totum agunt, vt à teſtimonio ſcripturæ, ad iudiciũ humanæ doctrinæ, omnẽ religionẽ traducant. Intelligunt ſpiritũ ſanctũ loquentem in humana doctrina, nõ intelligunt loquẽtẽ in ſacra ſcriptura. Quòd nõ intelligunt, ipſi dicunt: quarè intelligere nolũt, reliquiõnes intelligere poſſunt. De vno aut altero difficili loco non diſceptãt, ſed vniuerſam ſcripturã, propter difficultatẽ, libenter repudiant, vt ad lucem ſcilicèt humanæ doctrinæ omnes controuerſias referant. Sapientiores

pientiores sunt doctissimis Patribus veteris Ecclesiæ, qui nihil asserere volunt, quod scriptura probare non possunt : sapientores ipso Christo, qui omnia facit, & omnia dicit, vt compleretur scriptura, vt hæc ipsa vox totiès in Euangelio iactata testatur. Si quis hodiè in medium adfert scripturam, quid ait Papista? Diabolus, inquit, adfert scripturam, Hæretici omnes adferunt scripturam. Quid hinc colligis? Scripturam prætereundam esse, & doctrinam humanam inculcandam? Si sic sentis, tùm Diabolus multò te sapientior existit, qui potiùs via recta abuti, quam peruersam sequi maluerit. Et hoc dicto tuo nihil peruersius esse potest. Commemoras Diabolum & Hæreticum abutentem scripturis : quarè non commemoras Christum, aut sanctum aliquem Patrem, qui nihil vnquàm comprobant, aut comprobari volunt, nisi per apertas scripturas? Nè imiteris quod Diabolus & Hæreticus peruerse faciunt : & similitèr, nè omittas, quod Christus & sancti Patres semper faciunt.

Si Patres volunt omnes res probari per

Scrip-

Scripturam, cùr tu suggillas me cùm infero scripturam? Imò, ex malo facto Diaboli, hoc bonum exemplum capio, nihil omninò probandum esse nisi per scripturã. Nam triplicem impetum Diaboli, grauissimè contrà Christum intentatum per hanc machinam, Scriptum est,] Christus fregit & repulit per eandem ipsam machinam, Scriptum est:] vt, nisi Scriptum est] inducatur, Diabolus nunquàm conuincatur. Quo igitur gladio Christus vsus est aduersus principem Hæreticorum, eôdem gladio, & non alio, vtamur aduersus mẽbra eius. Verũ astutiã Diaboli in inferenda scriptura, propter maximam probabilitatem, omnes intelligunt: stultitiam verò Papæ, cum suis, in omittenda scriptura, ad apertam eorum ignominiam, omnes animaduertunt. Papistæ omnes hic duplici errore tenentur, cùm omnia referunt ad iudicium humanæ doctrinæ: primùm, q̃ exemplum Christi & vetustissimorum patrum contemnunt, qui semper inducunt scripturam: deindè, quòd malunt priuata arrogantia efferri in doctrina humana illustranda, quàm astutiam Diaboli sequi

Nihil omnino probandum est nisi per scripturam.

Papistę dupliciter errant.

in

in diuina Scriptura vsurpanda. Et vide quàm insignitèr peccant. Diabolus habet duo illustria scelera, arrogantiam & astutiam: nostri Papistæ magis student imitâri arrogantiam Diaboli, quàm astutiam: vt quo vitio Diabolus excellit, in eodem quoq; Papistæ præstâre videantur. Et reuerà, Papa cum suis aliquam rationem hic sequuntur: quoniam ex dignitate eorum est, Diabolum potiùs in leone quàm in vulpe imitâri: atq; ꝫ, nisi Papa sic faceret, Christū à clauo nauis ecclesiastica, & a throno testamenti eius nunquàm summoueret. Verùm quod ad obscuritatem Scripturæ attinet, nouimus quid Diuus Petrus de certis hominibus loquitur, qui Pauli doctrinam peruertunt, & reliquas omnes scripturas. Petrus hoc non dicit, vt abducat homines à testimonio scripturarum, ad humanum iudicium: nam proximo verbo exhortatur vt crescant in cognitione Christi Iesu, quam cognitionem libâri, non ex officina priuatæ interpretationis, & humani cerebri, sed è schola spiritus sancti, quæ est testamentum Iesu Christi, depromi debêre docet.

Arrogantia & astuti a duo illustri a Diaboli scelera

2. Pet. 3.

2. Pet. 2.

I. Fuerunt

Fuerunt etiam temporibus Pauli, ignaui homines, qui Eccleſiam abducere conati ſunt ab Euangelio, obſcuritatem prætendentes: 2.Cor.4. *Paulus hijs hominibus, ſi non iracunde, certè vehementèr reſpondet, ſe non ambulâre in aſtutia, ſed in manifeſtatione veritatis: Quòd ſi Euangelium noſtrum (inquit) adhuc velatum eſt, in hijs qui pereunt velatum eſt, quorum incredulorum ſenſum excæcauit Deus huius ſeculi, nè illuceſceret illis lumen Euangelij. Cauſſam in alio loco explicat Paulus:* 2.Theſſ.2. *Quià non fidem adhibent (inquit) veritati, hoc eſt, verbo DEI, ideò mittet Deus illis efficaciam erroris, vt locò Euangelij Chriſti, credant mendacio hominis. Si qui putant Papam, non in hac vna re potiſſimùm elaborauiſſe, tanquàm Deum huius ſeculi, vt mendacium humanum obſcuraret Teſtimonium diuinum: ſi qui alitèr dicunt, (inquam,) aut proptèr ignorantiam dicunt, quod non intelligunt: aut proptèr maliciam defendunt artificio, quod probant iudicio. Pro authoritate humanæ doctrinæ ipſum Paulum etiam ſubornant,* 2.Theſſ.2. *vbi ſcribit: Itaqué fratres ſtate,*

&

& tenete institutiones quas didicistis, siuè per sermonem, siuè per epistolam nostram. Per sermonem Pauli, dicunt, multa & olim tradita Ecclesiæ, & ad nostra tempora reseruata esse non repugnamus. Ostendant traditiones Pauli, quod Thessalonicenses facere potuerunt, & libentissimè amplexamur. Sed quid ait Primasius? Primasius.
Cùm suas vult Paulus traditiones tueri, non vult alias superaddi. Sed videamus: Nemo vnquàm superaddidit? Nemo hoc tentauit viuente Paulo? Audite quid idem Paulus in eôdem loco, de huiusmodi sermonibus loquitur: Ne citò (inquit) dimoueamini à mente, neque turbemini, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquàm à nobis profectam. An ausi sunt, viuente Paulo, sermonem in nomine Pauli fingere, & nũc homines nihil fingunt? An Paulus vehementissimè monet Thess. vt cauerẽt ab illis quadruplatorib⁹, Anglos hodiè nihil monet? An Thess. cauti & circũspecti esse debuerunt, nè aliquis sermo, tanq̃ à Paulo ꝓfectus, eos deciperet, & nos nõ debemus? Paulus duplicẽ doctrinã hìc nobis proponit: primũ monet Thes-

salonicenses, vt quem sermonem ab eo accepissent, diligentissimè custodirent: deinde, quoniàm in spiritu videbat Paulus, fore in postremis temporibus certos homines, quales nunc multi sunt, qui nomine sermonis Pauli, humanas nugas venditarent, monet, vt caueamus ab huiusmodi hominibus, dicens: Nè turbemini, neq; per sermonem, nequé per Epistolam, tanquàm à nobis profectam. Itaqué, ne ægrè ferant homines, si nos potiùs suspiciosi cum Paulo, quàm creduli cum illis, omnem sermonem circumforaneum & ἀδόκιμον, in nullo numero habeamus. Et cùm nihil obscurius, incertius, & fallacius esse potest, quàm opinio humana: sunt certè illi iniquissimi homines, qui sacerdotium externum, cum sacrificio sacerdotali, mundo, vel potiùs Ecclesiæ Christi, obtrudere volunt, cùm nihil, præter opinionem humanam, & meras tenebras, prorsus adferre possunt: si possunt, relinquant humanam doctrinam, & committant sacerdotium suum sacræ scripturæ, quæ perfectissimè docet, redarguit, & corrigit omnia. Sin verò a Christo ad hominem

2. Tim. 3.

abdu-

abducere indicium de ſacerdotio ſuo volunt, oſtendunt quid ſunt, & quem Deum ſequuntur, qui conijciunt ſe in tenebras, & aſpernantur lucem: conſiſtentes in arena, vacillantes in petra: rectiſſimam viam deſerentes, ſemitam erroris perſequentes: panem viuum contemnentes, palea humana ſe refertientes: &, quòd apte dicit quidam, inuentis frugibus, glande veſcentes. Atqué vt concludamus totum hunc locum, ſi Chriſtum iudicem agnoſcunt, doctrinam Chriſti proferant: ſin Papam, humana doctrina humanum ſuum ſacerdotium defendant.

Itaqué, cùm in ſcriptura nullum extet veſtigium, vel ſacerdotij externi, vel ſacrificij Miſſæ, pro viuis & mortuis applicandi: cùm certa natio hominum ſit, qui ſcripturas contemnũt, niſi Doctorum ſententias audiunt: vt ſi ad manifeſtas ſcripturas confirmandas, non adhibeatur etiã Doctoris authoritas, maluerint vniuerſas ſcripturas peruerſa ſua interpretatione corrumpere, quàm ſuam peruerſam opinionem relinquere: proferam iàm ſententias clariſſimorũ Doctorum in mediũ,

vt infirmitati taliũ hominũ satisfaciamus (cùm reuera non infirmi, sed peruersi existant:) & vt summo consensu, & scripturarum, & Doctorum, hoc euidentissimum esse comprobemus. Primùm, quòd Christus non offertur in cœna, vt sacerdotes volunt: sed oblatus semel, olim in cruce, nunc renunciatur in cœna, vt omnes Doctores docent: Deindè, quòd tale sacrificium, non magis ad sacerdotium, quàm ad quemuis alium Laicum pertineat. Nam si Christus, non reuerà in cœna sacrificatur, sed sacrificatus tantummodò commemoratur, vnde nomen huius sacrificij ortum est? Profectò, cùm omnes Christiani, æquo iure, in cœna commemorâre debent: omnes Christiani, æquo iure, in cœna sacrificâre solent. Itaq́, aut commemoratio passionis Christi non est omnium Christianorum, quod impium est dicere: aut hoc sacrificiũ non est tantummodò sacerdotũ, quod verissimum est asserere: omnes enim cõmemorant, omnes igitùr sacrificant. Et hæc ratio tàm perspicua est, vt nisi Papa, Deus huius nostri seculi, occæcasset mentes eorũ, veritatẽ lucis & Christi aperto ore agnoscerent:

Christus non offertur sed renũciatur in Cœna.

Papa Deus seculi

cerent : non opinionem noctis & hominis falso artificio defenderent. Sed hæc fusiùs posteà.

Offerre, apud Patres, significat oblatũ celebrâre, & memoria renouâre. Sic Christ⁹ dicitur offerri in cæna: nõ q, reuerà immolatur, sed quià eius passio plenissimè pacta in cruce, in memoriam hominũ, per mysteriũ cænæ, renouocatur. Nã si reuerà Christus offertur, reuerà Christus moritur : si enim iterũ offerretur, vt planissimè docet Paul⁹, necesse haberet, vt iterùm moreretur : at Christ⁹ qui resurrexit à mortuis, vltrà nõ moritur: vltrà igitùr nõ offertur: nõ offertur (inquam) in oblatione vera, quæ semèl peracta est : sed in recordatione grata, quæ sæpè renouata est. Itaq, quotiès veteres doctores sacrificiũ Christi in cæna nominauerũt, hoc κατὰ μετωνυμίαν, & inuersionẽ quandã nominis dicere consueuerunt, qui mos loquẽdi in multis alijs rebus quoq, percrebrescit: vt cũ dicimus de festo Natalis Domini, Christus hodiè natus est, nõ quòd reuerà hodiè nascitur, sed quòd a pio populo natus renunciatur: sic Christus offerri dicitur in cæna, non quòd vllo modo

Offerre quid apud patres significat.

Heb. 9.

Rom. 6.

immolatur per ſacerdotem patri, vt nonnulli impiè de ſuo cerebro fingunt: ſed quià ab omnibus ritè ſumẽtibus, Chriſtus mortuus pro nobis, efficaciſſimè commemoratur. Prætereà, hæc ipſa dies, in qua noſtra iàm ſcribimus, Circumciſio Domini nominatur, tamen in toto hoc celeberrimo Collegio Diui Ioannis, nemo tàm ignarus rerum puer eſt, qui putat hodie Chriſtum circumcîdi: ſed Chriſtum olim circumciſum, hodierna celebritate coli: ſic, qui Chriſtum in cæna, tanquàm veram hoſtiam, ſe Patri immolâre dicunt, & non memoriam ſolummodò Chriſti ſemèl immolati referunt, non ſolùm hæreticæ impietatis crimen ſuſcipiunt, ſed puerilis inſcitiæ notam ſibi meritò inurunt. In die Paſchatis & Aſcenſionis, iucundiſſima voce canimus, Chriſtus hodiè reſurrexit, Chriſtus hodiè aſcendit, cùm reuera hac die non reſurrexit ab inferis, neq; hac die aſcendit in cœlos, ſed memoriam reſurrectionis & aſcenſionis Chriſti, hac nominis notatione dignam eſſe iudicamus. Eôdem modo, vetus teſtamentum Moſes dicitur à Paulo, vt: Velamen adhùc eſt ſuper 2. Cor. 3.

oculos

oculos eorum, cùm legitur Moses: & agnus in cæna comestus, Transitus vocatur, non veritate rei, sed significatione nominis: id quod de sacrificio in cæna omnes veteres Doctores intelligunt, vt D. Augustinus, augustissimus ille Doctor Ecclesiæ Iesu Christi, Vocatur (inquit) immolatio, quæ sacerdotis manibus fit, passio Christi, mors Christi, crucifixio Christi, non rei veritate, sed significante mysterio: & in alio loco, Offertur hostia in sacramento, hoc est, (inquit Augustinus) hostia semèl oblata, & cæsa pro nobis, celebratur et annunciatur. Itaq́, si sacerdotes nostri, quià Augustinus vocat sacrificium in cæna, propterea dicunt se reuerà Christum sacrificâre, quod omnes sacerdotes dicunt: ergò, quia passio Christi eodem modo ab eodem Augustino dicitur, & Christum reuera crucifigunt: & quià redemptio dicitur, sanguinem eius reuerà fundunt: & quià mors, Christum etiam reuerà occîdunt: profectò, aut reuerà non sacrificant, aut hæc omnia reuerà perpetrant, cùm non vocatur alio modo sacrificium, quàm quo passio, redemptio, & mors Augustinus.

nominatur. Si alio modo in cœna est sacrificium Christi, quàm mors Christi, refutent Augustinum: aut qua ratione vocâri volunt sacrificii, eâdem ipsa ratione nõ dedignentur vocâri homicîdæ: aut probent sacrificium, non mortem Christi, in cœna celebrâri: aut aliter sacrificium, aliter mortem, ab Augustino nuncupâri. Chrysostomus quoq; super epistolam ad Hebræos, Non-nè per singulos dies offerrimus? Offerrimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius.

Chrysostomus.

Et in alio loco insignitè posuit Chrysostomus, loquens de dicto Pauli, Christus semèl oblatus est, ait: CHRISTVS seipsum obtulit, & prætèr hunc nemo illum immolâre potest. At quid ait Chrysostomus? Nemo Christum, prætèr Christum, immolâre potest. Vbi ergò distinctio est nostrorum sacerdotum, qui asserunt Christum semèl per se, sæpissimè autem per sacerdotes offerri Patri? Si nemo immolâre eum potest, quomodò sæpissimè ab vniversis sacerdotibus immolatur? Immolâre eũ nemo potest, inquit Chrysostomus, quià nemo illum occidere potest. Sacerdotes

nostri

nostri coacti sunt confitêri hæc vera esse, tamen aliquid addunt de suo, & nouum modum immolandi Christum confingunt: quem modum, vt soli vendicant sacerdotes citrà omnem scripturam: ità soli excogitant sacerdotes, citrà omnem rationem. Nam quòd veteres Patres toties inculcant, Christum oblatum esse in sacramento, verissimum esse confitemur: Patres enim sacrificium intelligunt, non sacerdotum, sed totius Ecclesiæ Dei, totius corporis Christi. Itaq́, aut soli sacerdotes sunt corpus Christi & Ecclesia DEI, aut soli sacerdotes non offerunt sacrificium in sacramento, sed reliqui etiam homines, qui sunt de corpore & Ecclesia CHRISTI, quod Augustinus planissimis verbis ostendit, vbi ait, Ipse per ipsam suetus est offerri, hoc est, CHRISTVS per Ecclesiam: igitùr, (quod etiam atquè etiam dicimus) soli sacerdotes sunt Ecclesia, aut soli sacerdotes non offerunt: quod verissimum est, testante ipso Canone Missæ: testante vetustissimo authore Irenæo, qui dicit Populum offerre: testante etiam

De Ciui. Dei 10. 20.

Irenæus.

c om-

communi consensu vetustissimorum Doctorum: id quod nos fusius alio loco demonstrabimus. Sacrificij Christi in cruce plenissimè peracti commemoratio, in cœna, à toto populo communicante celebratur: novus autem modus verè sacrificandi Christum per solos sacerdotes, ab humano cerebro excogitatur. Nam commemoratio sacrificij verũ sacrificium non existit, quod Lyranus super epistolam ad Hebræos planissimè docet, dicens: Eucharistiæ sacramentum non oblationem, sed memoriale esse oblationis Christi: nec verè sacrificium, sed memoriam sacrificij continêre. Itaq; cùm omnes celebrant eôdem modo memoriam sacrificij Christi in cœna, quod nemo negâre audet: omnes similitèr eôdem iure sacrificant, quod nemo dubitâre debet. Petrus etiam Lombardus Magister sententiarum, (proferimus eos authores quorum authoritas maxima est apud nostros sacerdotes:) apertis verbis idẽ ostendit, dicens: Illud quod offertur & consecratur à sacerdote, ideò (inquit) vocâri sacrificium & oblationem, quià memoria sit & repræsentatio veri sacrificij, & sancta immo-

Lyranus.

Lib. 4. Dist. 12.

immolationis factæ in ara crucis. Desinãt ergò Missarij iactâre, opus suum esse verum sacrificium, contrà tàm apertas tantorum Doctorum authoritates. Et vanissimum est quod in vulgus dispergunt, nouos homines, quos vocant, non audîre veteres Doctores: cùm illi potissimùm, qui catholici & sacrifici dici volunt, Doctores pro arbitratu suo reijciunt. Doctores enim celebrationem Eucharistiæ sacrificiũ vocant, non quià verum sacrificium existit, sed quià veri sacrificij memoriam vsq; ad nouissimum Christi aduentum fidelissimè transmittit. Et considera diligenter omnes partes cænæ, & facilè intelliges, quòd manducâre corpus, & bibere sanguinem Domini, non sit sacrificium: cùm reliqua omnia, quæ adiuncta sunt huic mãducationi, verissima sacrificia existant. Primùm, vitæ transactæ pœnitentia, mentis deiectio, preces, fiducia, gratiarum actio, & noui hominis renouatio sacrificia sunt, quæ ab omnibus Christianis semper quidem, sed præcipuè in cæna, Deo offerri debent. Cùm accedimus ad esum, vide, tùm potissimùm recipimus à Deo, verius quàm offerrimus Deo:

Deo: recipimus corpus Christi, recipimus sanguinem Christi, recipimus dona cœlestia, non retribuimus humana munera: & propterea, tota illa res vocatur sacramentum, hoc est, sacrum mysterium, quo Deus se, cum donis suis, verè & gratioſe nobis exhibet: nos contrà, Deum in domicilium cordis nostri recipimus, cum grata recordatione passionis eius. Quam passionis recordationem, corporis & sanguinis Domini perceptione celebratam, cum tot sequuntur, vel potiùs circumstant sacrificia, nempè humilitatis, iustitiæ, laudis, gratiarum actionis, & obedientiæ, clarissimè liquet, quòd cœna, quià tot ornata sacrificijs existat, nomen quoq; sacrificij apud veteres induat. Nos igitur cum scriptura, cum Augustino, Chrysostomo, Lyrano, & Lombardo dicimus, In cœna non Christum verè a solis sacerdotibus sacrificâri, sed gratè ac salutaritèr ab vniuersa Ecclesia commemorâri. Atq; si Catholici nostri vllam rationem haberent, quid Scripturæ doceant, quid Doctores sentiant, non verũ sacrificium sibi solis in Missa arrogarent: sed verã & salutarem partici-

ticipationem corporis & sanguinis Domini, vnà cum hys qui eôdem sanguine redempti sunt, libentèr in cæna communicarent. Pigius, Coryphæus Romanæ religionis, quem sacerdotes summum authorem habent, locum Malachiæ inuita scriptura, negantibus vetustissimis Patribus, ad sacrificium Missariorum traducit. Propterea, sic loquitur: In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Ex hoc loco intelligite impudentiam Pigij, obtorto collo rapit Scripturam, quò libido eius fert, vt suã sententiã inculcet: contẽnit sententias in hoc loco doctissimorũ Patrũ, contẽnit Tertulianum, qui contra Marcionem exponens hunc Malachiæ locũ, vocat mũdam oblationem simplicem orationẽ, & purã conscientiã, quæ duæ res, vel inuito Pigio, ipsissima sacrificia noui testamenti existunt, vt Augustinꝰ multis in locis expressis verbis docet, nempè epistola ad Honoratum, Sacrificia noui testamenti esse, quibus offerimus Deo laudes & gratiarũ actiones. Et sermone de tẽpore 255. perspicuè etiam

Pigius Romanę religionis Coryphęus.

Mala. 1.

Tertul. libr. 4. contra Mar.

etiam posuit in veteris & noui testamenti Quæst. 69. ostendens sacrificia noui testamenti esse, quæ fiunt animo, inuisibiliter animo & spiritu. Contemnit etiam Pigius Hieronymum, qui exponens Malachiam, mundas oblationes intelligit sanctorum hominum preces. Pigius in hoc vno loco impetum facit in omnem scripturam, & vniuersos Patres, qui hanc Malachiæ sententiam vnquàm explicauerunt. Et vide, quanto artificio vtitur ad refutandam authoritatem Scripturæ, & conuellendam sententiam veteris Ecclesiæ. Pigius interrogat seipsum, Quænam sit illa oblatio munda? Aduerte intolerantiam hominis, quomodò tollit omnes oblationes, vt oblationem sacerdotalem constituat. Primùm reijcit Christi oblationem in cruce, affirmans (maiori nè impudentia, an blasphemia incertum est,) eam oblationem, non in omnes orbis ditiones peragrasse, sed in vna Iudæa constitisse. Opponimus Pigio sanctum Hieronymum, qui eôdem modo interrogat seipsum, Quænam sit illa oblatio munda, de qua Malachias loquitur? Ipse respondit: Quæ completa est

Impudentia Pigii.

Hieron. in Ezech. 21.

in

in aduentum Christi, quando venit desideratus gentibus, & ortus est sol iusticiæ. Vbi sunt omnes Pigiani, qui Patres habent in ore, & Pigium in sinu? Cur negat Pigius, quod affirmat Hieronymus? Quis nunc contemnit Patres? Quis reiecit authoritatem veteris Ecclesiæ? Et quãquam ego iàm Hieronymum, variis in locis variam sententiam referentem intulerim, vt in altero loco intelligat oblationem Malachiæ esse orationem Sanctorum, in altero ipsam oblationem Christi in cruce, non tamen duplicis quasi cellæ in simulo Hieronymum, qui vnum locum varia ratione, sed vtraq; apta explicuit: sed duplicis potius impudentiæ condemno Pigium, qui duas sententias Hieronymi reiecit, & suam nouam inauditam ex suo cerebro confinxit. Et Augustinus quoq; intelligit hanc puram Malachiæ oblationem, fuisse sacrificium illud, per ipsum Christum impletum: vt satis impudens sit Pigius, qui potius blasphemâre potentiam crucis Christi, q̃ doctissimorum Patrum sententiam sequi maluerit. Potentiam crucis Christi, aut iudicio tollit, aut artificio deludit, cùm ait,

Quòd non in omni orbis loco, sed in vna Iudæa oblatio Christi oblata sit, cùm Malachias per hæc verba (Sacrificatur in omni loco) significat sacrificium Christi effudisse vires suas in omnes terminos terræ, in omnem seculorum posteritatem, quod Dauid explicat, inquiens: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quam possessionem non alio iure asciuit Christus, quàm oblatione corporis sui in cruce, vt in quẽcunq; locũ terræ pertineat possessio Christi: in eundem etiam locum penetret oblatio Christi. Nec Malachias intelligit essentialem passionem Christi, quæ peracta est in Iudæa, sed fructũ & potentiam oblationis Christi, quæ pervasit in remotissima orbis loca. Sed neq; hæc probâri, propter perspicuitatem: nec Pigius refutâri, propter apertam impietatem debet. Progreditur Pigius, & reiecta oblatione Christi cum maxima blasphemia, reiçit etiam reliqua noui testamenti sacrificia cum maiori, si fieri potest, impudentia.

Psalm. 2.

Dicit Pigius hanc oblationem puram Malachiæ, non esse sacrificium cordis con-

contriti, non preces & orationes: Tertulianus contrà, affirmat hanc Malachiæ oblationem esse simplicem orationem, & puram conscientiam. Quid dicemus? Pigio àn Tertuliano credemus? Quid dicet Pigius ipse? Cùr deserit Tertulianum vetustissimum patrem? Pigius nihil dicturus est, nam emigrauit ab hac luce: & precor Dominum, per misericordiam suam, vt manes Pigij non luant, quod manus eius scripserunt. Tertul. lib. 4. contra Marc.

At quid nunc Pigiani dicent pro Pigio suo, cùm vident illum apertum bellum indixisse Scripturæ & Patribus? Locus Diui Irenæi, de noua oblatione noui Testamenti, Pigij instituto non seruit, cùm Irenæus, non de solius sacerdotis facto, sed de vniuersi populi DEI, & Ecclesiæ Christi sacrificio loquitur: quod nos fusiùs alio in loco probabimus. Libentiùs inuehor in hunc Pigium, non tàm quòd Scripturæ authoritatem repudiat, præ sententia Ecclesiæ, hoc est Papisticæ sedis, vt ille ipse libentissime agnoscit, ne q3 q; doctrinã Tertuliani, Hieronymi, Augustini, & Anselmi apertis faucib9 refutat: q̃ q; plurimi in hac

Academia Cantabrigiensi existant, qui Pigij doctrinam pro Oraculo habent, cùm nihil aliud sit fouêre Pigium, quàm tueri Papam: nec libri Pigiani alio animo sunt à Pigio scripti, nec à plurimis sacerdotibus lecti, quàm vt Babylonica illa bestia thronum altissimi in loco sancto, inuito Euangelio Christi, occuparet. Et hactenùs de sacerdotio externo, & sacrificio sacerdotali disseruimus, quem locum, alio loco & tempore, si Deus ità voluerit, fusiùs explicâre poterimus: nunc ad reliquas Missæ præstigias orationem conuertemus.

(.·.)

Desunt reliqua.

Thema-

Themata QVÆDAM Theologica diſertiſsimi VIRI ROGERI ASchami.

An plus mali ab Adamo trahitur, quàm boni per Ieſum Chriſtum tribuitur.



PRIMVS homo parens noſter Adamus, partìm veteris ſerpentis malitia adductus, partìm mulieris leuitate allectus, propria tamẽ culpa & conſenſione, nimìs præceps & lubricus, ſe, ac omnes qui ex illo in poſterum naſcerentur, ab excellenti quodam dignitatis gradu, in quo poſitus fuit, in ſummam miſeriam & confuſionem perduxit. Secun- Primus homo.

Secundus homo.

dus homo, Dominus noster Iesus Christus, Dei Patris Spiritu sq; sancti voluntate & consilio, sua tamèn ergà homines benignitate & amore præcipuo, vniuersos qui participes illius beneficij esse volunt, in immensum decus, & amplissimum splendoris locum euexit. Verùm, an primus ille homo de terra terrenus, plus mali, per delictum suum & culpam, ad condemnationem & mortem inuexit, quàm secundus ille homo de cœlo Dominus, boni, per obedientiam suam & gratiam, ad iustificationem & vitam tribuit, quæstio sanè est, licèt difficilis admodùm & perobscura, ad cognitionem tamen pulcherrima, & ad omnem vsum ac religionem nostram cõtinendam maximè necessaria. Nihil enim pulchrius est, quàm humani generis interitum per Adamum, & eiusdem redemptionis mysterium, per IESVM CHRISTVM perpetua recordatione recolere: nec quicquam contrà magis necessarium est, quàm quanta in homine propter Adamum imbecillitas sit & desperatio, (vt timor Dei nobis incutiatur) & quanta iterùm in homine per Christum Iesum possibi-

possibilitas sit & expectatio, (vt amor Dei in nobis incendatur) quotidiana memoria complecti. Vtriusq; igitur, & Adami parentis incommoda, & Domini nostri Iesu Christi beneficia, ità persequar, vt nec vniuersa mihi assumam, vt fusè explicentur, ad rei ipsius dignitatem: sed nonnulla potiùs leuiter attingam, vt breuì significentur, ad loci huius & temporis rationem. Adami lapsu perdidimus omnia dona supernaturalia, quæ potius debent ab omnibus deflêri, propter certam illorum amissionem: quàm à me hoc tempore possunt recensêri, propter vllam illorum cognitionem. Sunt tamen (vt docti ferunt) ista. Scientia Dei, Puritas & Innocentia vitæ, Iusticia, Constantia, Potestas non moriendi. Adami lapsu irrepserunt in eorum loca, duo grauissima humanæ vitæ flagella, & extrema damna, Peccatum atquè Supplicium: nam propter peccatum calamitosi, propter supplicium miseri semper homines existunt. Omnis peccati fæx & eluuies, in quam nos Adami lapsus inuoluit, è tribus potissimùm puteis hauritur: qui etiam putei, licèt stagnent in

Dona supernaturalia Adami lapsu amissa.

Duo grauissima vitæ humanę flagella peccatum & supplicium per Adamum inuecta.

homine, deriuantur ab eôdem lapſu Adami: nam, aut ex cæcitate, aut carne, aut infirmitate, peccatum omne proficiſcitur. Cæcitas, nè quid rectum cognoſcamus, iudicium obſcurat: caro, vt à recto deflectamus, voluntatem ſollicitat: infirmitas, in recto perſequendo, conſtantiam omnem labefactat. Cæcitas viam aut non aperit veram, aut patefacit falſam: caro aut cognitam viam contemnit, aut in deuia ſeducit: infirmitas iàm inceptam viam, aut tedio relinquit, aut immẽſis difficultatibus propè confectam, viam obſtruit: mirum ergò non eſt, ſi homo ad arcem fœlicitatis peruenîre non poterit. Cæcitati ſubijciuntur, ignorantia, errores, ſuperſtitio, hæreſis, vanæ opiniones, præpoſtera iudicia, temeritas, aſſertio incognitorum pro cognitis, inuectio inutilium pro neceſſarijs, amor ſui, contemptus aliorum, pro bonis mala, pro malis bona, ſtultitia, vanitas, arrogantia, & eius generis alia infinita. E carne proficiſcuntur multa ad fraudem excogitata, plura ad vim & acerbitatem excitata, plurima ad voluptatum illecebras comparata.

Peccatum.

Cęcitas.

Caro.

Fraudis

Fraudis sunt blasphemiæ, periuria, calumniæ, perfidia, falsa testimonia, circumuentiones, insidiæ, adulatio, & sexcenta his finitima. Ad vim & acerbitatem pertinent, discordia, lis, inimicitiæ, æmulationes, homicidia, crudelitas, rapina, furta, cædes, sæuitia, tyrannis, ambitio, & cætera his confinia. Voluptatis comites sunt, nequitiæ, libidines, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, immundiciæ, lasciuia, ebrietas, commessationes, & omnia luxuriei genera. Infirmitatis vitia sunt, Infirmitas. *leuitas, inconstantia, mobilitas, fastidium, desidia, segnities, incuria, & quæcunque sunt ad negligentiam referenda. Peccata ergò omnia, quæ ab Adamo profecta sunt, cùm numero sunt infinita, ad cæcitatem, carnem, & infirmitatẽ, tanquàm ad certa capita, pertinêre dicimus. Et hæc de peccato.*

Alterum malum quod ab Adamo proficiscitur, supplicium ponimus, quod non ad Supplicium. *improbitatem iniquorum, sed potiùs ad conditionem & sortem miserorum referri debet. Supplicia, cùm re ipsa peccata non sunt, antecedunt tamen aut consequũtur,*

vel cũ ipsis peccatis cõuncta sunt: hæc numero infinita, certis tamẽ generibus describi possunt. Domestica supplicia sunt, labor, dolor, metus, luctus, penuria, fames, morbi, naturalis mors, & quæ in ꝓpriæ nostræ vitæ medullis inhærẽt. Foris assumũtur, orbitas, sollicitudo, bellũ, captiuitas, vincula, plagæ, carceres, exilia, violenta mors, & id genus alia. Longissimè prospectant nos ea supplicia quæ casu accidunt, vt ab æstibus, frigoribus, tonitru, grandine, fulmine, hiatibus terrarum, oppressionibus ruinarum, quas res inopinata mors consequitur. Quid referam mille venenorum genera, è metallis, herbis, fruticibus, auris, & pestiferis belluis prouenientia, ad interitum humani generis, per Adami culpam inuecta? Dæmonum incursiones innumerabiles, quibus humana vita exagitatur, non prætermîrem, nisi, nè in immensum oratio mea crescceret, vehemẽtèr pertimescerem. Sed satìs iàm opinor ex his, quæ diximus, manifestum esse potest, vniuersum humanum genus vel peccatis calamitosissimũ, vel supplicijs miserrimũ existere. Et hanc sanè hominis cõfusissimam

miseriam,

miseriam, si diligenti cogitatione versabimus, nihil profectò quod in nobis ipsis gloriaremur inueniemus. Et hactenùs de Adami lapsu, eius q3 incõmodis, quæ vel peccata ad malitiã, vel supplicia ad miseriã attulerũt, à nobis dictũ sit. Et iã à Iesu Christo exordiamur cũ apostolo Paulo, vbi dicit: In hijs hominibus superuincimus, p eũ qui dilexit nos, per cuius gratiã solius, ab hijs omnibus malis glorioſiſſimam victoriã reportabimus. Christi benignitas in nos nulla oratione comprehendi potest, paucissimis tantũ manifestũ erit, non tã Adami mala posse ad mortẽ & condẽnationẽ, quãtũ Christi beneficia ad vitã & iustificationẽ. Nã primũ, Deus nõ totum damnando hominib. abstulit, quod anteà benedicendo hominib9 tradidit. Licèt enim vitã nostrã ad pœnã Diabolo subdidit, omnẽ tamẽ naturã nostrã saluam & incolumẽ texit: & propterea viget in nobis intelligẽtia, viget mens, cuius beneficio magna honestatis vis, ad veri perspicientiam, ad hominũ societatem tuendam, ad res fortitèr ferẽdas, ad modum & ordinem in re quauis conseruandum, in homine remanet: & hoc tantùm

Iesus Christus.

tantũ proptèr Dominũ nostrũ Iesũ Christũ. Prætereà, quæ sũt ab Adamo ad miseriã nostrã inuecta, ea sunt per dei bonitatem ad nostram summam vtilitatem conuersa. In plana re, pauca exempla sufficient.

Metus. Metus, cùm sit peccati pæna per Adamum, magnæ commoditatis causa facta est per Iesum Christum: nam metu præceptores habent tractabiles discipulos, & metu Magistratus habent obedientes subiectos.

Labor. Et sic de labore, qui etiã pæna peccati est, dici potest. Cum labore discimus, sine labore nescimus: cum labore, boni: sine labore, mali semper sumus: ad quem modum reliqua omnia persequi potuerim: superuincimus ergò pèr eum qui nos dilexit. Et hæc quæ diximus sunt miserorum solatia, nõ beatorum præmia: quæ sane bona, cùm data sunt etiam his omnibus, quos prædestinauit ad mortem: quanta sunt ergò illa bona, quæ daturus est hijs, quos prædestinauit ad vitam? Totus Adami lapsus in summam bonorum vtilitatem est conuersus, & plurima capit homo bona, ex eo lapsu, qui insitus est in Iesu Christo, quæ nunquàm sanè per-

percepiſſet in ipſo innocenti Adamo. Verùm ſi Adamum & eius incommoda, cum Ieſu Chriſto & eius beneficijs cominùs conferamus, facilimè, quantum per eum, qui nos dilexit, ſuperuincimus, conſiderabimus. Adamus culpam inuexit: Chriſtus pœnitentiam adduxit. Adamus, culpa ſua, ſolùm peccatum originale attulit: Chriſtus, gratia ſua, & originale, & omnia etiam actulia abſtulit. Adamus afflictionem, laborem, & certamen proponit: Chriſtus patientiam, præmium, & coronam tribuit. Adamus inobedientia ſua, tantùm mortem nobis impartit: Chriſtus, obedientia ſua, & mortem morte deſtruxit, & vitam vita reſtituit: ſuperuincimus ergò per eum qui nos dilexit. Sed Adamus reddidit nos filios iræ, filios indignationis, obiecit nos faucibus crudeliſſimorum hoſtium, Carnis, Mundi, Diaboli, Peccati, Mortis, Inferni. Chriſtus omnem captiuam duxit Captiuitatem, Infernum deuicit, Morti aculeum abſtulit, Diaboli vires fregit. Diabolus iàm voluntatem nocendi, non poteſtatem vllam habet, niſi quatènus nos ei concedamus. Ergò ſi tu

Adamus & eius incommoda, cum Ieſu Chriſto & eius beneficiis comparantur.

vis

vis, Diabolus non potest: si tantùm resistis, fugiet à te, quemadmodùm ait Apostolus. Et contrà tàm fractos hostes, munitissima tamẽ arma donat Christus, vt omnibus modis per eum superuincamus. Nã pro baltheo, veritatem: pro thorace, iusticiam: pro scuto, fidem per spiritũ suum nobis infudit. Verùm, vt intelligamus totum peccati imperium, per Christi beneficium esse sublatum, audi tu, quisquis es, qui dubitas. Errore duceris? Christus via & ianua est. In ignoratione & tenebris iaces? Ipse veritas & lux est, illuminans omnem hominem venientẽ in hunc mũdum. Peccati magnitudinem metuis? Eccè agnus Dei qui tollit peccata mundi. Maledictũ legis extimescis? Perfectio legis ipse est, ad iusticiam omni credenti. Mundi tyrannidem times? Bono animo sis, ille vicit mũdum. Diaboli fraudẽ vereris? Venit princeps huius mundi, & in illo nõ habet quicquam. Inferni voraginem exhorrescis? Hîc nihil prævalent portæ inferni. Mortis vltimi hostis aculeum formidas? Absorpta est mors in victoriam: & qui credit in illo, etiamsi mortuus fuerit, viuet.

Eadem propemodum verba recẽsentur themate inscripto, Absit mihi gloriari. &c Gala. 6.

Quid

Quid ergò restat vt dicamus, nisi quòd omnibus modis superuincimus per eum qui nos dilexit, cui honor & gloria in omne æuum. Amen.

Iuuenis fui & etiam senui, & nunquã vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Psal. 37.

CVM Ecclesia Dei, in qua nos militiã quandam aduersus Dei hostes & tenebrarum perpetuò sustinemus, ortum habêre & gigni, & aliquãdò diem suum obitura (iuxtà patrũ sententias) videatur, propterea à Dauid spiritus sancti plenus, hoc loco in nomine totius ecclesiæ, in eorum consolationem qui iustam vitam traducere, & capiti suo adhærescere velint, in hãc sententiam irrumpit. Cùm me cogitatione refero in memoriam infantiæ meæ, sub Abel: & antè legem, adolescentiæ meæ, in tempore Patriarcharum, Iudicum, & Regum: & cùm intueor in florentem meam ætatem, cùm lumen de lumine, ad reuelationem Gentium & gloriam plebis Israel illuxerit: cùmq; senectutis meæ decursam & exactam ætatem prospicio, in qua omnis

ferè

ferè charitatis sanguis refrigescet, & penè exhaustus fuerit: cùm (inquam) vniuersæ ætatis meæ memoriam, vna cogitatione complector & perlustro, ità in ea semper ergà iustos Dei bonitatem fusam esse, & prolatatam video, vt nunquàm quenquã iustum viderim, sic iacentem & inclinatum, aut in eas miseriæ & indigentiæ angustias compingi, quìn præsens & maturũ opis adminiculum, Dei benignitate, quàm celerrimè sit ei asportatum. Meritò ergò Propheta in nomine Ecclesiæ, Iuuenis fui & etiam senui. &c. Quis sit iustus singula quæq; ferè scripturæ pagina ostendit, nullibì tamen expressiùs & pictiùs ob oculos ponitur, quàm in Psalmis: nam sic pòst in præsenti Psalmo Dauid: Iustus est cuius os meditatur sapientiam, & lingua eius loquitur iudicium, & lex Dei eius in corde ipsius. Hunc Dominus non derelinquet, sed hæreditabit terrã, & inhabitabit in seculum seculi super eam. Talem iusti benedictionem confirmat ipse Dominus noster Iesus Christus, cùm dicit: Primùm quærite. &c. Si quis verò requirit explicatiorem iusti descriptionem, Ezechielem

Psal. 37.

chielem decimo octauo audiat: *Vir, si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iusticiam, in montibus non comederit, & oculos suos nõ leuauerit ad idôla domus Israël, & vxorem proximi sui non violauerit, nec vllũ iniuria oppressérit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, ab iniquitate auerterit manum suam, & iudiciũ verum fecerit inter virum & virum, in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit vt faciat veritatem, hic iustus est, & vita viuit ait Dominus Deus. Si me feretis describere vobis iustum, eandem inibo rationem, quã M. Cicero in. 2. De Inuentione sequutus esse videatur, quod non impiè dictũ, sed cũ Christi doctrina coniunctissimum erit: neq; quòd ille ait, ideò proferam: sed, quià veritas sic postulat, ideò in mediũ producã. Iustus est, qui religione & sanctitate Deum colit, & qui pietate, patriæ, parentibus, & singulis hominibus diligens officiũ tribuit: nam qui Deũ colit, hoc est, antè õnia toto corde & animo amat, quod est religionis: quiq; omnẽ hominẽ non aliter ac seipsum* Ezechi. 18.

Iustus.

diligit, quod est pietatis: hic, iuxtà Christũ & Paulum, vniuersam Dei legem & iusticiam explet. Quòd vir iustus nunq̃ à Deo derelinquetur, plura sunt in sacris scripturis testimonia quàm possum recensere, & plura etiam exẽpla, quàm opus fuerit proferre. Nec singularum rerum aduersarum exempla persequar, nec quẽadmodùm Ionas à pisce, & pueri à camino ignis liberati fuerant: sed tamen vnũ aut alterum testatius & illustrius exemplum, vbi Deus incredibilẽ quandam opem iustorum indigentijs attulerit. Quid? Nùm iustus Elias cùm in torrente Carith magna fame delitesceret à Deo derelictus, cũ corui deferebant ei panem & carnes manè, & similiter panem ac carnes vesperì? Nùm vidua illa in Sarephtha Sydoneorũ, in grauissima fame à Deo derelicta est, cuius hydria farinæ nunquàm defecit, & lecythus olei nunquàm imminutus est? An populus Israeliticus, in nobilissima illa Samaritana fame à Deo derelictus est, cùm venundaretur caput asini octoginta argẽteis: & quarta pars cabi stercoris columbarum quinq̃ argenteis, cùm mulieres com-

Ionas.

Tres pueri in Camino ignis.

Elias.

Vidua in Sarephtha.

Populus Israeliticus.

comedcrẽt liberos ſuos: ꝓxima tamẽ luce, Dei bonitate, tãta omniũ copia & frumẽti abundantia ſuppeditauerat, vt modius ſimilæ vno ſiclo, & duo modij hordei vno ſiclo cuiuis volenti venundarẽtur? Si verò Deus aliquandò grauiùs nos vexauerit, & longiore rerum miſeria detinuerit, hoc nõ ad interitum, vt perdat: ſed ad explorationẽ, vt probet, facit. Ità enim manifeſtiſſimè loquitur ſpiritus Domini, Eſaiæ. 54. cùm ait: Ad punctum in modico dereliqui te, at in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parùmper à te, at in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autẽ mea nõ recedet à te, & fœdus pacis meæ nõ mouebitur, dixit miſerator tuus, & redẽptor tuus dominꝰ Deus. Verũ, multi pij ſanctiq́; viri, nõ ſolũ rebus ad victũ ꝓtinẽtibus caruerũt, ſed dira fame, grauiſſimo ſupplicio ſæpenumerò interierunt. Ità eſt vt dicitur, ſed hij minimè derelicti videntur eſſe, qui ꝓ diurno pane æternũ adipiſcũtur: ꝓ parua & exigua fame, ꝑnes epulas cõſequũtur. Eſai. 54.

Nam qui aurum inuenerit, plumbũ, quod olim habuit, non amplius quærendum exiſtimat: cui dies ſemel illuxerit, candelam ad accendendum non deſiderat. Bene hic quidèm ſitit, qui ità ſitit, vt non ſitiat in æternum: benè hic quidèm in fame deſeritur, vt nunquàm vel vnum pedem a latere Chriſti diſcedat in poſterum. Si ergò videaris ad tempus in fame, vel vlla alia miſeria à Deo relinqui, nè cadas animo, ſed audactèr confide, quòd hoc etiam tibi in perpetuũ lucrum ſit ceſſurũ: dicaſq; plena ſpe, & grata animi tui voluntate cum

Rom. 8. *Paulo ad Romanos. 8. Exiſtimo quòd non ſunt condignæ, aut vllo modo æſtimandæ paſſiones huius temporis, ad futurã gloriã quæ reuelabitur in nobis. Iuſtus nunq; derelinquetur à Deo, nec ſemẽ eius quærens panem.] Sancti patres, Chriſtianæ religionis doctores, de ſemine variè, ſed õnes piè ſentiunt. Quidam enim pro operibus, quæ quis in hac vita cõmittit, intelligunt: quidã pro filijs & poſteritate capiunt, nec pro õnibus filijs: nã boni filij ſunt ex malis patribus profecti, & mali filij ex bonis parẽtibus nati: ſed pro his tamẽ qui in veſtigijs*

iuſti

iusti cuiusuis viri (nam is pater est) sedulò & constanter institerint: nam hij sunt (inquit scriptura) veri filij Abrahæ, qui fide sunt filij Abrahæ: ergò qui moribus iusti imbutus iustam eius vitã fuerit sequutus, hic semen iusti meritò dicendus est, etiam si iustus ille, quẽ imitatus est, nunq̃ ei fuerat cognitus. Sentit ergò propheta cùm dicit, Iustus à Deo nunq̃ derelinquetur, nec semen eius quæret panem, quòd benedictio bonitasq́ Dei, in omnem seculorũ memoriam, in generationem & generationẽ ergà iustos, quocũq́ tempore extiterint, perpetuò transfundetur. Si verò habueris patrem iustum, nec tamẽ in vijs eius ambulaueris, sed ab his longissimè deflexeris, nõ tu iusticiæ eius hæres, non immortalis præmij consors atq́ particeps: nec magis eius filius, quàm hij sunt filij Abraham, qui fide non sunt filij Abraham: nec semen benedictionis ad vitã æternam demetendã, sed herba damnationis apta materies ad succidendã, & in ignẽ proijciendã eris. Nam si à patris virtute & probitate degeraueris, non tu ab illo profectus, sed à teipso, quasi iàm prognatus esse videris. Teipsum

exhæredasti : iusti patris nomen, quod ille tibi reliquerat, insolentia obtritum obliterasti : & teipsum ac omnem vitæ necisqué potestatem in adoptionem Diabolo emancipasti : & sic pro hærede DEI, mancipium Diaboli : pro filio lucis, tenebrarum nepos, grauissimo nexu factus es.

Et quòd omnia sanguinis gentisqué iura, quæ cum iusto patre & Christo antè habueras, exuisti, quanquàm in alterius nomen totus transiisti docet Paulus, cùm dicit : Nulla cognatio DEO cum Diabolo, nulla necessitudo luci cum tenebris.

Docet hoc etiam ipse Naturæ ordo, quòd iusti seminis nomen perdideris : nam triticum in genere frumentario longè præstantissimum, quemadmodùm in libris rerum rusticarum ostendit Columella, si solo, in quo seminatur, non diligens cultura paterno quodam modo quotānis adhibeatur, triennij spatio, omne tritici nomen deponit, & in siliginis naturam transit atq; commutatur. Sìn verò à iusticia patris non discesseris, sed in vijs eius

Columella.

ius ambulaueris : si pauperis miserearis, & inopi commodaueris : tùm tu semen illius in perpetua Domini benedictione fueris, & sicùt pater tuus vt DEVS promittit, terram hæreditate capies, & in seculum seculi supèr eam inhabitabis. Panem quærere apud Hebræos & cæteras ferè omnes gentes, (vbiuis gentium enim hic loquendi modus vsurpatus est,) pro deseri & derelinqui capitur. Sensus ergò est, Quiuis in vijs iusticiæ ambulans, filius paritèr atqué pater, iuuenis æquè ac senex, priuatus perindè ac magistratus, à Deo non derelinquetur: sed quacũq; in ætate, quacunq; seculorũ memoria, iusticia hominũ apparuerit, in eâdem effusissima DEI bonitas ergà nos illuxerit. Hugo Cardinalis hanc sententiam in alium sensum, & suo iudicio longè tutissimum, nec meo profectò absurdissimum, omnibus tamen Ecclesiæ Doctoribus, quos ego vidi, repugnans, & ferè inauditum contorquet. Iustus (inquit) à Deo non derelinquetur, nec semẽ eius, modò quærat à Deo panem, hoc est, omnem viuendi curã in illum iactauerit : saturat enim catulos

leonum, multò magis nos, qui escam à Deo quærunt. Ergò, quid iustus, quid derelinqui, quid semen, ex sacra scriptura Ecclesiæq; Doctoribus satis liquêre & manifestum esse puto.

Filius non portabit iniquitatem patris. Ezech. 18.

DOminus Deus miseriator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ Deus, nihil vnq; ferè vel iustis & pijs, ad summã lætitiã exoptatius: vel iniustis & perditis, ad omnẽ doloris acerbitatem grauius: per os Prophetarum eloquutus est, Ezechi. 18. *quã cũ dicit, Anima quæ fecerit iustitiã, in iustitia sua, vita viuet: & anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Neq; enim, inquit Dominus, pater portabit iniquitatem filij, nec filius iniquitatem patris. Prætereà, prouerbium illud in terra Israel multùm iactatum, (nempè, Patres comederũt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt,) quasi falsum, & è vulgi opinione profectum, per os Ezechielis Prophetæ ipse refutat Deus. Viuo ego, dicit Dominus*

nus, si erit vobis vltrà parabola hæc in prouerbium in Israel. Eccè omnes animæ, meæ sunt: vt anima patris, ità & anima filij, mea est: anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Neq; obijciamus Mosen Prophetæ, vel Deum potiùs Deo, qui ità in Exodi capite vicessimo loquitur: Ego sum Exod. 20. *Dominus Deus tuus, Deus æmulator, qui reddo peccata patrum super filios, vsq; ad tertiam & quartam generationem. Verba quæ sequuntur, & hanc grauem comminationem leuant, & sententiæ, si quæ sit, dubitationem explicant: addit enim Dominus, His (inquam) qui me odêrunt. Nam, quemadmodùm ait Hieronymus, non ideò puniuntur filij in tertia & quarta generatione, quià patres eorũ deliquerunt, cùm patres, qui peccatores erant, punîri debuerint: sed quià patrum æmulatores extiterunt, & hæreditaria quadã prauitate Deum, sicut patres, odêrunt. Alium sensum magis latentem & abditum, in quo tamen mirificè patientia & longanimitas Dei ergà peccatores eluceſcit, ostendit Hieronymus. Ait enim primam* Hieronymus. *peccandi cogitationem, qua peccatum con-*

cepimus, quasi patrem esse: at si quod concepimus, opere perfici, & quasi crescere permittamus, filium vocat: & hos primos ac secundos peccādi stimulos, dicit Græcos προπαθείας vocâre, sine quibus, vt nullus homo esse possit, ità eas rarò Deus aut nunquàm punit. Sin peccatum adoleuerit, nepotem: si verò insoluerit, & in malitia gloriatus fuerit, Deumqúe contempserit, (scriptum est enim, Impius, cùm in profundum malorum venerit, contemnit,) tùm pronepotem dici: & hanc peccandi quasi familiam à patre in filium, à filio in generationem & generationem, Deus (vt par est) grauissimis constringit supplicijs.

Non igitùr est hæc sententia capienda, quasi peccatum vnius alterum condemnabit, sed vnusquisqué pro suo, & non pro alieno peccato luet, iuxtà legis sententiam, Deuteronomij 24. Non morientur patres pro filijs, & filij non morientur pro patribus. Et huic legi testimonium abhibuit facto suo Amasia Rex Iuda, 4. Reg. 14. qui seruos suos Ioas Regis patris sui interfectores percussit, filios autē

Deuteron. 24.

Amasia rex Iuda.

per-

percussorũ non occîdit. Sed dicitis, inquit Deus, Ezech. 18. Quarè non portabit filius iniquitatem patris? videlicèt, respondit Dominus, Quià filius iudicium & iusticiam operatur, omnia præcepta mea custodit & facit illa, viuet vita: & anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.

Si quis verò instabit, & vrgebit, quòd nos omnes patris nostri Adami iniquitatem portamus: sic responsum ferat, bifariàm dici Adami peccatum: alterum, quo ille peccauit contrà DEVM, pro quo ille solus luisset, iuxtà Scripturam: Anima quæ peccauit, ipsa morietur: sed pœnitentiam egit, & non mortuus est, iuxtà Scripturam: Si impius egerit pœnitentiam, & omnia præcepta mea custodierit, vita viuet & non morietur. Alterum originale vocatur, quod pèr prioris maximèqué proprij Adami peccati designationem, in mundum introyt, & in omnes homines propagatum est: quod peccatum, neq; Iudæis qui in Christum venturum crediderunt: neq; nobis, qui in Christum mortuum credimus, ad vllam condemnationem propagatum est.

Dicit

Dicit enim Paulus, Sicut per vnius delictum propagatum est malum in omnes homines, ad condemnationem: ita per vnius iustificationem, propagatur bonum ad omnes homines ad iustificationem. Et alio in loco: Nulla est condemnatio his qui insiti sunt in Christo Iesu, modò non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulauerint. Ethnicis verò & infidelibus ad condemnationem, nisi resipuerint: neq; id quidèm, quià alterius peccatũ portant, sed suum, suumq; & proprium iustè vocandum peccatum, quibus iàm vel hodiè natis adhæresçit mala ad peccatum propensio, tenebræ, ignoratio Dei, quibuscum vitijs nulla omninò Deo est societas. Sed totum hoc negotium, quasi sublimioris intelligentiæ, inscrutabili Dei iudicio committamus: & nostram conclusionem, de actuali & voluntario peccato, cum Domino Deo & tota Scriptura ac Doctoribus intelligamus. Sed quid dicemus de iustis, qui propter scelera malorum grauia patiuntur supplicia, quemadmodùm inter Sodomitas, pueri & innocentes: & propter peccatum Dauid, multa millia pereuntes? Huius rei

ius rei facilis admodùm & expedita est explicatio: nam si boni cum impijs puniuntur temporalitèr, non malorum peccata luunt, sed acerba ferendo, vitam consequuntur æternalitèr. Supplicia enim, vt sunt malis proptèr peccatum ad damnationem obiecta: ità supplicia sunt bonis proptèr patientiam, ad coronam & iustificationem proposita. Ergò, anima quæ peccauerit, ipsa morietur: & filius non portabit iniquitatem patris, neq; pater filij: sed iusticia iusti semper supèr eum erit, & impietas impij semper supèr eum erit: quemadmodùm ait Dominus Deus, cui laus & gloria in omne æuum. Amen.

Non factum sed modus in culpa est. Augustinus, de Doctrina Christiana. 3.12.

QVid factum, quid modus sit, inprimìs à nobis diligentèr est perscrutandum. Nam verborũ, si ambigua sunt, distinctio: sin obscura, explanatio omnem orationem tenebris inuolutam, qualis hæc esse videatur, in lucẽ euocâre solet. Et cùm Christiana re-

na religio, ipſa lux & veritas ſit, nec vllas ex ſua natura diſcrepantes opiniones, niſi primo aliquo aſpectu aut hominum culpa admittat, (plus enim vna ſententia vera in ſcripturis eſſe non poteſt) propterea meas proprias rationes fluctuâre non permittam, ſed ſic oratio noſtra ſolùm verbo Dei prouehetur, vt eius authoritate, quaſi velis quibuſdam, gubernata eſſe videatur. At verò ſi aliquid à me ſiuè perperàm arceſſitum, ſiuè non rectè intellectum fuerit, non opinioni praua, quòd ſic ſentiam: ſed mediocri meæ eruditioni, quòd non melius intelligam, hoc à vobis tribui cupio. Non enim ad aliquid ſtatuendum, quod eſt authoritatis: ſed ad aliquid diſcendum, quod eſt meæ inſtitutionis, ad hanc diſputationem accedo. Nam ſi in errorem aliquem, quod homines ſolent, incidam, non eum certè acritèr, quod praui conſueſcunt, defendam: & quantumcunq; fuerit vllus error mihi præceps atq; lubricus ad prolapſionem & caſum, tantum ſanè erit voluntas & animus meus paratus ad veritatẽ, certumq; amplectendum ſenſum: & ad hunc modum cauſſam meam cõmunitam

eſſe

esse volo, propter eos, qui nimium in alienas res inquirere solent. Sed iam ad id quod instituebamus. Factum voco quicquid facimus: factum bipartito distribuitur, alterum est generale, simplex, & infinitũ, nulla personarum, temporum, locorum designatione notatum, quod Graeci vocant θέσιν vt sacrificâre, comedere, loqui, vidêre, pugnâre, & quae sunt eius generis. Alterum factum coniunctum & modificatum, hoc est, certis vel personis vel temporibus, vel locis descriptum atq; terminatũ, quod Graeci vocant ὑποθεσιν: vt Cain vel Abel sacrificat, Esau vel Iacob comedit: hic pugnat, vt patriam defendat: alter pugnat, vt seipsum vlciscatur. Iam factũ primo loco à nobis explicatum, quod simplex & infinitum dicimus, sine vllo modo, hoc est, sine vllis rebus circumstantibus à nobis perceptũ, neq; bonũ neq; malũ est, sed indifferens quiddã atq; ἀδιαφορον, alterũ factũ certis in personis vel temporibus positũ, quod modificatũ nominamus, aut bonum aut malũ est, pro rerũ, quae illud circũstant, ratione & modo. Et hoc loco etiã malum peccatũ, bonũ virtutem nominamus.

Factum quid.

Factum duplex.

Ergò

Ergò cùm duplex factum à nobis sit expositum, iàm sequitur, vt explicemus vtrũ factum infinitum, an factum modificatum illud sit, de quo nos sumus disputaturi. Et cùm in disceptationibus omnibus de absoluta & perfecta re quæri solet, nos in præsenti de facto generali, nullis rebus circũstantibus modificato, sermonem faciemus: quod factum nos extrà omnem culpam ponimus & asserimus. Alterum factum, quod designatum est de modo aliquo, vtrùm bonum àn malum sit, nos non multùm laboramus, quìn illud totum à me disputationis sermone amotum atq; segregatum est. Positum ergò hoc sit, & clausum intèr nos quatenùs dissentimus, & quatenus consentimus: nam sic veritatẽ ipsam, quam inuestigamus, disputatione nostra quasi limabimus, & in lucem conspectumq; hominum proferemus. Tu dicis peccata omnia, vt adulterium, vt homicidiũ, fraudem, & furtum, esse semper mala, nec vllo modo posse esse bona: idem & ego dico, & quod tu vocas detestabile peccatum, ego, si vis, vocabo detestabilissimum. Dicis itidem tu factum esse malum, hoc do tibi: sed si dicis

si dicis factum simplex & infinitum, hoc non do tibi, sed solùm factum terminatum atq; modificatum. Itaq;, de natura peccati, an sit, quod sit, quale sit, nunc non disputamus, quià de ea re nos inter nos minimè controuersamur: sed solùm quarè aliquod factum sit peccatum aut non peccatum. Et in hac parte etiam consentimus, quòd factum est peccatum, si intelligas modificatum. Nostrum igitur περινόμενον, siue totius nostræ disceptationis certamen, de quo sermonẽ habebimus, in hac sola quæstione versatur, An factum aliquod simplex, sine rerum circumstantium designatione, peccatum sit, nec ne? quod ego planè nego, quodcunq; assignaueris factum, videlicet, loqui, vidêre, comedere, non comedere, carnes edere, pisces edere, pugnâre, interficere, re venerea vti, spoliâre, & cætera facta omnia, quantùm in infinita illorum vi atqué natura intelligantur, nequé bona nequé mala esse, sed solùm indifferentia. Verùm si hæc facta modificabimus, hoc est, ad certam aliquam personam traducemus, tùm fient aut peccata aut virtutes: id quod euidentibus exem-

plis è ſacra Scriptura repetîtis planum faciemus, poſtquàm quid modus ſimiliter ſit, explicauerimus. Modus nihil aliud, hoc in loco, quàm res circumſtantes. 1. perſonam, locum, tempus, & quæ ſunt huiuſmodi, ſignificat: qui modus factum infinitum & late patens, certis quibuſdam finibus continet & definit. Modus duplex eſt, bonus & malus. Bonus dicitur modus, quià bonum factum: malus, quià malum factum creat ſemper & producit. Omnis modus coniunctus cum fide, eſt bonus: & omnis modus ſeparatus à fide, eſt malus: nam quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt: & quicquid eſt in fide, virtus eſt. Præterea, non omnis modus, qui nobis videtur eſſe bonus, eſt bonus: neq; omnis, qui videtur eſſe malus, eſt malus: ſed nonnunquàm contrario quodam modo vſu venîre ſolet. Neq; hæc modi indagatio fruſtrà à nobis ſuſcepta eſt. Neq; Diuus Auguſtinus perperàm monet, vt quid locis, temporibus, & perſonis conueniat, diligenter attendamus, nè temerè flagitia reprehendamus, aut malum pro bono, vel bonum pro malo vſurpemus: nam ſic prouocemus in nos grauem

Modus.

Modus duplex.

grauem illam Dei comminationem, Væ vobis qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Nunc, explicata vtriusq; & facti & modi natura, ad exempla illa veniam⁹, quæ totam hãc rem, quasi illustrem atq; testatam, in omnium vestrum conspectu ponant. Sacrificâre, est factum neq; bonum neq; malũ, adde modum statim erit altervtrum: nempè sacrificat Cain, malum est factum: sacrificat Abel, bonum factum est. At quarè alterum bonum est, alterum malum est? Proptèr modum: nam modus sacrificandi Cain erat malus, nempè sine fide: modus sacrificandi Abel bonus, videlicèt in fide. Interficere hominem, est factum neq; bonum neq; malum, modifica illud, & statim vel hoc vel illud erit. Es magistratus & interficis hominem? Licet, proptèr modum coniunctum cũ fide: dicit enim scriptura, Non frustrà gladium gerit. Interficis hominem hostem? Licet, proptèr modũ copulatum fide: nam Lex diuina permittit hostem interficere, quemadmodùm Dauid interfecit Golian. Sine vlla caussa, per scripturam comprobata, hominem interficis? Peccatum est.

Sacrificare, quid.

Interficere hominem, quid.

Quare? Propter modum interficiendi contrà fidem: nam dicit scriptura, Non occides. Ergò, interficere hominem est indifferens, sed hoc vel illo modo interficere, licitum aut non licitum est. Concumbere cum muliere, neq; bonum neq; malum est, adde modum, alterutrum erit. Concumbere cum muliere alterius viri, est peccatum, & adulterium: & hoc propter modum concumbendi contrà fidem, quià scriptura dicit, Non mœchaberis. Similiter, cùm innupta, quià est contrà fidem, quæ dicit, Fugite fornicationem. Verùm, concumbere cum muliere, quæ propria vxor est, licitum est, propter modum rei ex fide proficiscentem: nam ait scriptura, Vnusquisque possideat vas suum ad sanctificationem: Et iterùm, Vnusquisq; habeat vxorem suam ad vitandam fornicationem. His exemplis potissimùm vsi sumus, quià maxime παράδοξα, & cõtrà hominum opinionem esse videantur. Prætereà, quomodo vidêre ad concupiscentiam est malum, ad laudandum Deum bonum: comedere ad necessitatem licitum, ad gulam illicitum: pugnâre pro patria iustum,

iustum, pro libidine vlciscendi iniustum: & infinita his finitima, facile ostenderemus, nisi quòd tempus in nimis longum sermonem producere omninò noluerimus. Cùm igitur modus sic terminat factum, vt ex sua ipsius vi & natura, factum nihil sit nisi per propositionem modi: tamen, imprimis cauendum est, ne fingamus nobis ipsis modos, sed hoc totum DEI voluntati tribuamus: nam sunt modi quidam, qui non sunt omnium hominum communes, sed quorundam hominum atqué temporum propri & singulares, & qui præcipua quadam DEI voluntatis prærogatiua faciunt quædam facta patrum in veteri testamento licita, quæ hoc temporis (quoniàm Deus non applicat nunc huiusmodi modos nobis,) essent detestabilia.

Et ex his modis alter permissiuus, alter imperatiuus rectè potest appellâri. Permissiuus, vt quandò Abraham, propter sterilitatem Saræ, concubuit cum ancilla sua: & quandò Iacob decepit patrem, & fraudauit fratrem suum & benedictione & hæreditate: & quæ sunt his similia prope infinita. Imperatiuus, vt quandò Deus iussit

Modus permissiuus.

Modus imperatiuus.

filios Israel spoliâre Ægyptum: aut quandò Deus iussit Oseam Prophetam concumbere cum meretrice, & ex ea suscipere filios fornicationis: & quandò Deus iussit Abraham occidere proprium filium suum Isaac. Hæc exempla non sunt nobis proposita ad imitationem, sed sunt nobis relicta ad omnipotentis Dei gloriæ significationẽ. Factum illorum, quatenùs factum, erat malum, nec nos possumus probâre: sed factum, quatenùs per Deum præceptum, non erat malum, nec nos debemus damnâre. Itaq; nec eos, quià sic fecerunt, licitum est, vt imitemur: nec consilia Dei quarè sic voluit, fas est vt perscrutemur: sed præceptum Dei, quià sic iussit, æquum est vt amplexemur. Neq; nos illud, quod aliquib. sigillatìm & nominatìm est permissum, nobis debem⁹ arrogâre: sed id q; õnibus generatìm & vniuerse vel vetitũ sit vel præceptum, omni cogitatione nostra versâre. Ad modum ergò, non ad factum, quicquid ab hominibus vel boni vel mali effectum sit, æplicâri debet. Sed, quemadmodũ priùs diximus, diligentèr à nobis est cauendum, nè nobismetipsis modos affingamus: nam

tùm

tùm factum nostrum quantumcunq;, specie plausibile aut pium esse videatur, Deo tamen displicet & impium est. Est vnus modus, & is tantùm bonus, nempè præceptum & voluntas Dei: nam Deus ait in Deuteronom. Hoc tantùm facito quod ego præcipio tibi. Si ad præcepta Dei modificemus facta nostra, tùm omnia facta nostra sunt bona, quià non nos, sed Deus operatur in nobis, iuxtà illud Prophetæ, Omnia opera nostra operatus est nobis: & alio in loco, Semita iusti recta est, quià Dominus dirigit gressus eius. Facta igitùr nostra, nõ quià per nos facta, sed quià per præceptum Dei modificata, bona existimanda sunt, nè nos in nostris gloriemur, sed semper opus haberemus dicere, Nõ nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Hunc solum & vnicũ modũ bene agendi viderunt, licèt non expresse, adumbratè tamen veteres Philosophi, qui ponebant τὸ μέσον inter nimium & parum virtutem, iuxtà illud Poëtæ, Est modus in rebus: & quæ sequuntur. Aliquantò propìus ad veritatẽ accessit Xenophon, apud quẽ Cambyses ait, Modus homini bono æquitas est, non Xenophon.

ſua voluntas: qua ſententia, quid poteſt dici diuinius, cùm Deus ſit ipſa æquitas. Sed planiſſimum eſt quod Socrates in 4. ἀπομνημονθμάτων reſpondet Euthydêmo interroganti, Quo modo poſſit eſſe bonus? Si Deum honorabis, inquit: Sed qua via? inquit alter: Reſpondet Socrates, Socrates apud Xeno. πως ὃν ἂν τις μάλιον καὶ θυσεβέςερον τιμωη τὸν θεον, ἢ ὡς ἄυτος κελέυει ὀυτω ποιων? *Hoc eſt, Quomodò quis maiore cum ſanctitate ac religione Deum colet, quàm ſi ad iuſſum & præceptum eius omnes factorum ſuorum rationes applicauerit? Sunt hæc exempla à me ab Ethnicorum ſcholis repetîta, non vt probem cauſſam meam, ſed vt nos noſtri pudeat, ſi illi cæci, qui (vt elegantiſſimè ait Cicero) nullam veri iuris, germanæq; iuſticiæ ſolidam & expreſſam effigiem tenebant, ſed vmbra & imaginibus vtebantur, ad veritatis cognitionem propiùs accedant quàm nos, qui non fictam ſequimur imaginem, ſed expreſſiſſimam DEI patris effigiem, non vmbram, ſed lucem, qui eſt Chriſtus Ieſus, vera lux & germaniſſima iuſticia noſtra.*

Sit

Sit ergò Christus nobis in omnibus modus, 1. exemplum, (vt ait Scriptura,) & norma vitæ nostræ, non nosmetipsi: sit ille nobis ὁ μέσον, simus nos conformes illi, non nobis: vt illud, quod Cicero de Philosophia loquitur, nos de Christo verissimè vsurpemus: Hic est illa de cœlo delapsa regula, ad quam omnes vitæ nostræ rationes dirigere & formâre debemus. Modus ergò hic est. Præscriptio & voluntas Dei, non facta nostra, nos bonos facit: à qua præscriptione siuè modo, si vnum pedem aberrauerimus, Deo placêre, aut bonum aliquid facere profectò non possumus, quantumuis bonum & pium illud nostro iudicio & conscientiæ esse videatur. Possum adducere in medium Ozam regem, qui putabat se benè facere, cùm admouebat manum ad Arcam Dei nè caderet: sed quià illud factum erat contrà modũ præscriptionis Dei, bona eius voluntas eum à morte, quâ illum propterea à percussit Deus, non liberauit. Possum & Saulem memorâre, qui bono animo & modo, (vt ille putabat, sed contrà præscriptionem Dei,) aurum & lapides pretiosos ad exornandũ

Oza rex.

Dei templum ab ignis vastatione reseruauit. Quid illi apud Matthæum, qui prophetant, qui eiciunt dæmonia, & hoc etiam in nomine Iesu Christi? Quià modum & præscriptionem DEI non obseruant, pro facto optimo, si vllum factum est bonum, contrà audiunt dictum grauissimum, Nescio vos. Possum infinita huiusmodi exempla proferre eorum, qui ex bona intentione, (vt ità loquar,) malè egerunt: sed quià sunt hominum perditorum, facilior ad ea est responsio. Nunc accedamus ad sanctissimos pòst Christum homines, ad viros Christianæ religionis principes, ipsos DEI Apostolos, Petrum, Paulum, & Iohannem, quorum facta ex bono animo (vt sibi visum est) profecta, quià præscriptione Dei non erant modificata, Deo displicebant. Sic Petrus valdè amantèr, sed parùm amicè monebat Christum vt non moreretur: à quo audit, Abi post me Satana. Sic Petrus, bono animo, ad defendendum Christum, præcîdit auriculam Malco: sed ei dictum est, Qui gladio percutit, gladio peribit. Sic Paulus rogabat vt stimulus carnis

Petrus.

Paulus.

auser-

auferretur ab eo, bono animo ſcilicèt, vt liberiùs Euangelio vacaret : ſed percuſſus eſt, & audiuit, Non ſufficit tibi gratia mea. Sic Ioannes, qui Chriſto erat intimus, cùm Angelum Dei, bono animo, & propter Deum, qui eum miſit, opinor, ſummo quo potuit honore proſequutus fuit, reprehenſus eſt & audiuit, Vide nè ſic feceris. Ergò cùm facta apoſtolorum, quãtumuis pia & ſpecioſa, non eo tamen modo, quo Chriſtus vult, effecta, reiecta & refutata ſunt, quid de aliorum hominũ leuioris notæ factis dicemus, qui indiès nouos modos, nõ à Chriſto præſcriptos, ſed à ſeipſis inuectos fingunt & refingunt? Et hîc profectò, ſi nõ me auocaret noſtra inſtituta diſputatio, ingrederer in immẽſum illũ campũ dicendi, contrà peſtem illam Babylonicam, Romanũ Epiſcopũ, veram effigiẽ, & expreſſum Antichriſti idôlũ, ſentinã, ex qua efluxit tanta tamq; perdita nouorũ modorũ fœx & eluuies, contrà præſcriptiones Dei, quæ ſic totã eccleſiã inundauit, & ſic viuã aquam ꝓmiſcuit & conturbauit, vt multi multis in locis iã ſordibus eius inuolui, q; è fonte Chriſti aliquid haurîre maluerint.

Romanus Epiſcopus Antichriſti idolum.

Hic

Hic modos suos, pro modis Christi, in Ecclesiam inuexit: & propterea dicit scriptura, Hic stabit in loco sancto. Quàm hoc verum sit, ex rudi & indocto vulgo facilè disces: nam si aliquis dicit, Sic facite ad hunc modum, quem Christus suis apertis verbis præscribit, capiunt verbum illud, nec reprobant: sed duritia cordis, quam illis longa superstitio obduxit, ad illum modum vitam suam instituere nolunt. Sin ipsi habent aliquem peculiarem modũ viuendi, quem fortasse Diabolus ipse excogitauit, Romana lues approbauit, hypocrisis in lucem indicauit, cæca consuetudo reseruauit, ab huiusmodi modo, tanquàm Polypus, a saxo abstrahi & diuelli possunt. At verò, cùm non Petro, non Paulo, non Ioanni, aliquandò (vt videtur) non ipsi Christo, (nam dicit, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, sed non sicùt ego volo, sed sicùt tu vis:) cùm, inquam, non liceat istis, imò nõ ex bono animo, aliquem nouum modum sibi excogitâre, quìn statìm audierint, Abi post me Satana, non sufficit tibi gratia mea, caue nè sic feceris: quid dicemus de modis nostris plurimis, qui

qui aut ex voluntate hominis, aut voluntate carnis proficiſcuntur, ſine vlla Dei præſcriptione? Non pepercit illis, & parcet nobis? Minimè. Quarè, cùm modus omne factum facit aut malum aut bonũ, & vnus tantùm modus ſit bonus, nempè voluntas & verbum Dei, iuxtà illud Domini Dei, Hoc tantùm facito quod ego præcipio tibi, neq; declines ad ſiniſtram, neq; ad dextrã, hic modus in omnibus noſtris factis nobis eſt perquirendus: quod ſemper faciemus, ſi noſtram voluntatem ad eius voluntatem adiungamus, adiuuante eo qui dicit, Petite & accipietis: & cùm petatis, ſic petite: Fiat voluntas tua, ſicùt in cœlo & in terra. Vt voluntas noſtra, ſic Chriſti voluntas, duplici modo fit, timendo Deum, & diligendo Deum: timendo, iuxtà illud Pſalmi, Voluntatem timentium ſe faciet: diligendo, iuxtà illud, Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit: & ſermonem ſeruâre, eſt, voluntatem eius facere, quemadmodùm Chriſtus ipſe dicit, Non omnis qui dicit. &c. Quãobrem, cùm facta noſtra nihil ſunt, niſi hic modus à me præſcriptus illa dirigat, oremus

mus Deum, vt ipse modificet facta nostra, & tùm vera bona opera & salutem nostram operabimur, tùm rectis gressibus curremus, & brauium capiemus: tùm audactèr cum Paulo dicemus, Bonum certamen certauimus, reposita est nobis corona iusticiæ, quam reddet, nobis iustus Deus, pèr eum & proptèr eum solum, quẽ misit, Iesum Christum, cui laus in omnem æternitatem. Amen.

Tantum facite quod ego præcipio vobis. Numer. 22.

VITA omnis nostra hæc in cursu quodam & perfectione ponitur: Ciuitatem enim manentem hîc non habemus, sed ad cœlestem illam Hierusalem nos peregrini, qui insiti sumus in Christo Iesu, omni contentione enitimur, ad quam tamẽ peruenîre non poterimus, nisi totum hoc iter nostrum, ex eius sententia solius & consilio (quasi velis quibusdam) gubernatur, qui dicit: Tantum facite quod ego Propositio. *præcipio vobis. Nam, qui suas vias vnquàm îre perrexerunt, quantumuis dire-*

ctæ

ctæ & peruagatæ esse videbantur, non illùc rectâ contendentes peruenerunt, sed in deuia ac transuersa loca deflectentes aberrarunt. In hoc ergò humanæ vitæ curriculo îre pergunt omnes, sed hij rectâ tantùm, quorum gressus dirigit Dominus, & qui in ea persistunt via, quam solam Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, tenendam esse præscribit. Vnus Deus est, qui est, & in quo est vna & omnis bonitas, ad quã vna via, licèt multifariàm patefacta, vt olim apud patres per legem & prophetas, nunc intèr nos pèr Euangelium, sed semper proptèr Christum, qui ipsa via est, peruenîtur. Quæcunqué nobis peragenda sunt, in hac demigratione nostra, voce sua præscribit Deus pater: Multifariàm enim loquitur Deus, vt olim in Prophetis, vt ait Paulus, nunc in filio qui sermo patris est, dicente ipso patre in Euangelio, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite: solus ergò pater est audiendus, vel in lege, vt perterrefacti declinemus à malo: vel in CHRISTO IESV, vt animati perficiamus bonum. Confirmatio.

Qui

Qui extrà hanc viã vnũ pedẽ ponunt, ad patrẽ peruenîre non poſſunt: nã ſola ea ſunt bona & ſpiritualia, quæ præſcripta ſunt à Deo: & õnia ea ſũt mala & carnalia, quæ orta ſunt ab homine, iuxtà illud Euãgelij, Quod natũ eſt ex carne, caro eſt. Viam quam præſcribit Deus, & viam quam ſibi fingit caro, vel homo, ſi intèr ſe cõferamus, quàm hæc ſola ſit proxima & maximè cõpendiaria ad Deum, illa multis implicata erroribus, rectiſſima tamen ad interitum, planum admodùm & manifeſtum erit. Ad patrem via ſolus Chriſtus Ieſus eſt, quo nihil vel ad ſequendum tutius, vel ad ducendum rectius, quò peruenîre cupimus: etenim, non ſolùm eò nos rectâ perducit quò volumus, ſed omnẽ omniũ impedimentorũ curã ſummouet quæ timêre poſſumus. Nùm de introitu in viam ſollicitus es? Ipſe oſtium & ianua eſt. Nè in errores aliquos perducaris extimeſcis? Ipſe veritas eſt, qui te neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram delabi patietur. Tenebras & noctes exhorreſcis? Ipſe lux eſt illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Nè de longinquitate viæ feſſus defati-

defatigeris, anxius es? Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Digressu Christi à nobis & antecessione eius ad patrem perturbaris? Ob hoc lætare potiùs, nàm vadit paraturus nobis locum. Solus te in hanc viam das? Confide, non derelinquet nos orphanos. Impedimenta, quæ mundus obiecerit, formidas? Bono animo sis, ille vicit mundum. Peccatorum onera metuis? Eccè agnus Dei qui sustulit peccata mundi. Legis implendæ impossibilitatẽ times? Ipse perfectio legis est ad iusticiam omni credẽti. Diaboli vim & tyrannidẽ, nè te de via deturbet, vereris? Venit Princeps huius mundi, & in illum non potest quicquam. Mortis terrore turbaris? Mors morti fuit, nec posthæc mors dominabitur vnquàm. Perpetuo viuendi desiderio accenderis? Ipse vita est, & sempèr viuit, vt nos in eo in æternũ viuamus. Solus ergò Christus Iesus via est, quæ nos rectâ sine omni circuitionis errore, periculiuè metu, fert & perducit ad patrem. Itaq́, cùm quæcunq́ præcipit pater, præcipit per filium, filius aut nõ sua, sed quæ sunt patris loquatur, (Sermo-

nem enim quem audistis, &c.) & solus filius à nobis est sequendus: ergò tantùmodò nobis sunt facienda quæ præcipit pater. Contrà, de via hominis plurima sunt loca in Scripturis, sed paucissima attingemus.

Prouerb. 14. *Via hominis (Prouer. 14.) recta est in cõspectu eius, sed extremum eius via mortis.*

Deut. 12. *Et Deut. 12. Non facietis singuli quod sibi rectum videtur. Et Samuel ad Saul:*

1. Sam. 15. *Numquìd voluntas Domini est in holocaustis & victimis, sicut in obtemperando voci eius? Solùm enim pârêre melius est quàm sacrificium: & auscultâre quàm adeps arietum. Zeloticus enim Deus est tuus, nec cum altero quicquam cõmunicat.*

Eccle. 3. *Et Eccle. 3. Vias nouas nè scrutatus fueris, sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper. Præterea, quòd voluntas hominis etiã bona displicet Deo, si extrà præscriptũ eius ponatur, & non finibus verbi Dei coerceatur, ex Scripturis manifestò liquet. Bono enim animo populus Israëliticus, etiam cum consensu Aaronis, aureos vitulos erexerant, sed absq; Mose fuisset, vniuersum illum cœtum dominus deleuisset. Bono animo etiam Gedeon ephod Do-*

Exod. 32.

Iudic. 8.

mino

mino consecrauit, qua tamen re magnam Domini offensionem sibi comparauit. Bono animo & Saul victis Amalichitis armentum in victimam Domini reseruauit, sed cõtrà audiuit à Samuele, Pro eo q̃ cõtempsisti verbũ Dõini, abiecit te ne sis vltrà rex suprà Israël. Bono animo Petrus aurem Malco præcîdit: bono animo Paulus stimulũ carnis auferri sibi rogauit: quæ facta q̃ùis à sanctissimis primarijsq̃ viris perfecta, Deo tamen displicebant, qui iubet nos facere tantũ ea, quæ ipse præscribit nobis. Huic sententiæ tres potissimũ res sunt, quæ primo aspectu nonnihil controuersæ videntur, Principũ ciuiliaq̃ decreta, Religionis & ecclesiasticæ ceremoniæ, Vitaquè nostræ ac corporis huius tuendi rationes: quæ res, vt magnam authoritatem, summa cum necessitate coniunctam habent: ità nullam aliquam illustrem & insignem earum præscriptam à Deo mentionem, in scriptura sibi vendicâre posse videntur. Sed si hoc pro certo tenendum sit, Nihil nobis esse faciendum, nisi quod Deus ipse præcipiat, quem locum istis tribus rebus tribuamus, obscura quædam res,

1. Sam. 15.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Confutatio.

& plena quæstionis, iure vidêri debet. Ad quam dubitationem hanc facilẽ responsionẽ adhibêre possumus: Non per hunc locũ Scripturæ, vel principum decreta tolli, vel Ecclesiasticas ceremonias diminui, vel corporis carnisq; nostræ curam negligi debêre: sed omnes has res hinc maximam ad se constituenda authoritatem adipisci. Nam Ecclesiæ omnes, quarum capita reges sunt pòst Christum, non sua, sed Christi ferunt decreta: non enim est potestas nisi in Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt: itaq; qui resistit potestatibus, Dei ordinationi resistit. Etenim qui Ecclesiam audit, Christum audit, vt est præclarè positum apud Euangelistam, Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Et qui Christum audit, Deum patrem audit: nam patris sermo Christus est, quod confirmat & ipse Pater, cùm dicit: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite: ergò, decreta principum & Ecclesiæ intèr præscriptiones Dei continentur. Adhæc, religionis nostræ ceremoniæ omnes, quæ ad pietatẽ necessariæ sunt, ex Dei Patris scriptione (velutì ex fonte quodam) ductæ sunt

&

& accersitæ : dicit enim Paulus, Fiant omnia decentèr in Ecclesia. Nam censet sanctus ille Dei vir turpe admodũ & vitiosum esse, nos in reliquis omnibus vitæ nostræ rationibus summam elegantiam & munditiem solêre ostentâre, in rerum sacrarum sacrosancta tractatione venustatis omnis dignitatisq; plena, rudis cuiusmodi & inhumanæ negligentiæ velle condemnâri. Ceremoniæ ergò decentes decẽtèr in Ecclesia sunt retinendæ, & tamdiù sunt decentes, quamdiù sunt loquẽtes, & negotij sui benè gerentes : sin verò fuerint vel mutæ & otiosæ, vel nimìs loquaces & curiosæ, vt iniustè audeant in veræ sanctimoniæ possessiones irruere, vt bona pars illarũ solebat, quæ ex eluuie & fæcibus Romanæ sentinæ exhauriebantur, tùm profectò sunt vel corrigendæ, vel omninò tollendæ : potestati enim Principis & Ecclesiæ subijciuntur. Itaq; ceremoniæ decentes ꝑ potestatem sunt traditæ, potestas omnis est ex Deo, ergò ceremoniæ sunt ex Deo. Sed cura carnis nostræ tuendæ siue per cibum, siue per vestitum, siue per somnum, à Deo nobis non est præscripta, certò est, cũ scrip-

tura dicit, *Nemo carnem suam odio habêre debet, quià templum spiritus sancti est. Hoc tantùm monemur, ne curam carnis agamus ad libidinem: nam tùm spiritui Dei resistit, cui semper inseruîre debet. Præterea, gratia Dei nos nascimur, atq; viuimus, ex qua gratia à primo ortu nostro didicimus, & quasi cum lacte nutricis suximus, nosipsos, vitam, corpusq; tuéri, & ea omnia declinâre, quæ nocitura esse videantur, vt præclarè docet Cicero, qui cùm de gratia Dei nihil vnquàm accepit, non sine gratia Dei tamen hoc beneficium Naturæ bonitati, quæ nomine magis quàm re discrepat a gratia, tribuit.*

Conclusio. *Quamobrem cùm ità sunt, clarè sequitur, quòd decreta Principum, Ecclesiastica ceremoniæ, & corporis nostri tuendi cura, à Deo nobis præscribuntur: & cùm hæ tres res fines propè sunt & termini, quibus tota hæc vita nostra circundata contineatur, quisquis is certè fuerit qui aliam vitã extrà hos fines positam sequi vult, vbi ipsi blandiri potest, ego tamen illius vitam probâre non audeo, quià Dominus dicit, Tantum facite quæ ego præcipio vobis.*

Irasci-

Irascimini & nolite peccare. Ephesi. 4.

VAriam ex sacra Scriptura iram docti viri collegerunt, vnam à fide non separant, alteram in carne nostra collocant. Ira carnis, grauissimum delictum est, quã Deo odiosam, hominibus molestam, cum belluis communem habemus. Hæc ira hominem immensum in modum fœdat & exagitat: nam intùs, viscera nostra torquet & eneruat: foris, proximum quenq; affligit atq; cruciat: de cuius vniuersa vi & natura, longam orationem instituerim, nisi quòd minimè & mihi necessarium, & huius loci propriũ illud esset intelligerem. Et propterea, de huiusmodi ira, quam carnis voco, hoc satis hoc tempore dictum sit, non eam esse illam iram, de qua Prophetæ & Apostolus loquuntur, Irascimini & nolite peccâre: quoniàm à peccato nullo modo abesse aut separâri potest. Ira carnis.

Ira, qua irasci potest quis, & non peccâre, fidei ira dicitur: quià cum fide rectissimè coniungitur: & ad similitudinem huius iræ Deum irasci legimus: Irafidei

quàm cùm in Deo collocamus, ab omni peccati societate eam segregamus. In hominibus hæc ira fidei ex diuersis hominum officijs diuersa nomina inuenit: nam Magistratus omnes, siuè hij qui præsunt religioni, siuè illi qui dominantur reliquæ Reipublicæ, iustè nonnunquàm irasci dicimus: & eã Correctionis iram nominamus. Adhæc, parentes siue genitores fuerint, quorũ beneficio viuimus: siuè præceptores fuerint, quorum præsidio benè viuimus, irasci nobis sine peccato fatemur: & hanc Monitionis iram appellamus. Est & altera ira, quæ Peccati ira dicitur, cùm homo grauissimè vitijs & delictis suis irascitur, quæ pœnitentiam veram quasi socia atqué comes semper consequitur: id quod ipse Augustinus docet, vbi ait, Quid est homo pœnitens, nisi homo sibi irascens? & hoc modo quiuis optimè irasci, & minimè peccâre potest. Demùm, & alia ira est, & illa huius loci magìs propria est, quæ feruor mentis esse dicitur: ad hanc iram si inclinamur tantùm, (quod boni solent) non nimìs concitati in eam efferramur, (quod mali faciunt) adeò

Ira correctionis.

Ira monitionis.

Ira peccati.

Ira quę feruor mentis dicitur.

adeò non est culpa & Dei offensio, vt pijs mẽtibus sit summi meriti interdùm occasio: nam hæc ira, cùm afflictio carnis sit, patientiam nostram exercet & probat, è quare omnis spes nostra certa efflorescit. Et sic Paulus stimulo carnis, ad probationem eius exagitabatur. Ad quas tentationes nobis perquàm vtiles perferendas, nè illis tamen obruamur, satìs nos munit ipsa gratia Dei. Irascimini ergò, hoc est, Sit ira vestra, licèt paulùm natura sua proclinis, non nimiùm tamen natura sua præceps: sit tarda & cunctans, non subita & irruens: motu suo sedata incedat, non vllo impetu rapta excurrat: tacita, verecunda, & prudens conticescat, non immanis, ferina, & insolens intumescat: sic excitata calescat, vt non inflammata exardescat: non pugnax, sed placabilis: non pertinax, sed exorabilis vbiq; conspiciatur. Irascimini ergò & nolite peccâre, hoc est, Iram vestram herbescentem, priusquàm maturescat, proterite: incensam, antequàm inflammescat, restinguite: solutã, antequàm nimìs insolescat, comprimite. Ad hunc modum iram, non cum peccato implica-

tam, sed ad nostræ tolerantiæ probationem immissam, ad nostri vtilitatem, ad Dei gloriam conuertemus, iuxtà illud Pauli, Bonis omnia cooperantur in bonum. Et sic quàm breuissimè potuerimus, hanc quæstionem concluſimus.

Si quis putat se aliquid scire, hic nondum cognouit quemadmodum oportet scire. 1. Cor. 8.

SI quis putat se aliquid εἰδέναι, non dùm quicquam ἔγνωκεν, quemadmodùm oportet γνῶναι. Hæc sententia Pauli tantùm redigit in memoriam nobis, quales nam sumus, quàm viles, quàm humi repentes, vt nosmet ipsi non efferramus, sed humiliter & demisse sentiamus. Hic scientissimus est, qui scit quàm nihil ipse sciat, hoc est, qui ignorantiam suam & inscitiam scit: ob quam rem Socrates, licèt ab Apolline, diuinitùs tamen iudicatus est sapientissimus, quòd hoc solùm sciret, quàm esset omnium rerum inscius. Socrates etiã, in Apologia sua, putat multos viros, qui habebantur valdè sapientes, hoc nomine fuisse

fuisse ab Apolline iudicatos stultiores, quià sibi ipsi videbãtur esse sapientissimi. Scientiam habemus, fateor, sed eo sanè maiorem, quo nos illam minorem esse sentimus: nec est vt vlla de eximia virtute gloriemur, quamdiù hijs corporum vinculis retenti fuerimus. Sapientèr enim Sapiens in sapientia sua, Terrena inhabitatio deprimit sensum vt multa cogitet. Et noster intellectus, quo scimus, sic vndiq; circumfusus est tenebris, vt homo coniectus in carcerẽ, aut de nocte in caligine vigilans, nihilo certius (quæ oportet) percipiens, quàm homo hospes & aduena in aliena regione: quod sanè verũ est, nam ait Paulus, Quamdiù sumus in carne hac, peregrinamur à Domino: peregrini autẽ omnes rudes & rerum imperiti semper esse solent. Scîre, quẽadmodùm oportet scîre, est scîre Deum. Sed hoc facere non possumus, nisi aliqua ex parte, vt ait Paulus, quãdiù compingimur in hoc gurgustium corporis nostri. Deus, sicuti est, non videtur, non comprehenditur, sed solummodò creditur. Quomodò Deus, cùm sit infinitus, à mẽte finita percipi potest, cùm vèl iuxtà Philoso-

Scire quid.

loſophiam. Finiti ad infinitum nulla ſit proportio? Quomodò Deus, qui ſolus ENS eſt, non tamen ex numero eorum quæ ſunt, neq; ex numero eorum quæ non ſunt, qui maximus eſt ſinè quantitate, optimus ſinè qualitate, parens omnium ſine vlla collatione cum altero, omnia agens & ſemper quieſcens, omnia continens & tamen impatibilis, vbilibet extrà locum, æternus ſinè tempore, formoſiſſimus ſinè omni habitu aut forma corporis: Quomodo, inquam, tanta natura, ſicut eſt, perfectè cognoſci poteſt? Cùm euolauerimus ex carcere corporis noſtri, cognoſcemus eum ſicut ſumus cogniti ab eo, ad quam cognitionem adipiſcendam vix eſt vlla alia via propior, ex noſtra parte, quàm eſt ea, quam Socrates Alcibiadi oſtendit, nempè, ſi putemus nos ferè nihil ſcîre. Nam omnis noſtra nunc cognitio, ſi cum ea conferatur, qua oportet nos aliquandò Dominum cognoſcere, non ſolùm inchoata eſt, & prope nulla, ſed mera quædam ignoratio atq; inſcitia. Ergò, Si quis putat ſe aliquid ſcîre, hic non dùm cognouit, quemadmodùm oportet ſcîre.

Abſit

Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Gal. 6.

CVm antiqui patris noſtri Adami culpa & incuria, Euæ leuitate & inconſtantia, Serpentis fraude & calumnia, tota humani generis vniuerſitas, imperio Carnis, Legis, Peccati, Mortis, Diaboli, Inferni, ſubiecta fuerat, vnigenitus Dei filius, Patri æternitate coæuus, ſubſtãtia & poteſtate par & æqualis, è patris ſinu exiliens, ſemetipſum exinaniuit, Deus pro perditis & mortalibus, altiſſimus pro infimis & humi ſerpentibus, omnium Deus pro mortis & peccati ſeruis, innocens pro reis & iræ filijs, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum homo factus eſt, & lignum crucis, lignum ſupplicij & ignominiæ pertulit, vt non ſolùm lignum prævaricationis hoc ligno, quaſi clauum clauo pelleret, & hominum genus è legis maledicto, & mortis carcere, in veterem libertatis dignitatem aſſereret: ſed vt æternum peccati, mortis, diaboli victoriæ monumentum, crucis ſignum, & trophæum in cœlis ad dextram

dextram patris, ad perpetuã Christi & cũ Christo omnium Christianorum gloriam poneret & collocaret. Et hæc est beneuolentia illa, qua priùs nos ante iacta mundi fundamenta dilexit, quã mundus non cognouit, quã caro abhorruit, ad quã ratio obstupuit, magnis & prudentib. ignota, paruis & idiôtis reuelata, Iudæis ignominia, gentibus stulticia, Christianis vere nomẽ eius inuocãtibus, decus & sempiterna gloria. Absit ergò mihi gloriâri, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Gloria planiùs à Græcis δοξα dicitur, cùm præstantes, eminentes, eximij vidêri cupimus. Ea duplex est: altera legis & mundi, altera Christi & crucis: & altera vana, altera vera & est & esse dicitur. Vana fuit gloria pseudapostolorũ eorum, qui apud Galatas Pauli doctrinam calumniantes, & ad circumcisionẽ & legis obseruationẽ eos adhortantes, applausum vulgi, et insigniũ Doctorũ nomina sibi ipsi acquirere studuerunt, cõtrà quos homines, quià suã in aliorũ carne, nõ Christi in animarũ salute gloriã quærebant, dixit Paulꝰ, Absit mihi gloriâri &c. Vana est & nunc eorũ gloria, qui

vel

vel nouis dogmatib. inferẽdis, vel hypocrisi & superstitionib. retinendis, tranquillitatẽ Ecclesiæ perturbãt. Vana fuit gloria eorũ, quos Christus Matth 6. redarguit, qui cũ fistulis & tubis eleemosynas diuidebant, et in plateis stantes orabant, & faciem suam occultantes ieiunabant, & õnem suam iusticiam coràm hominibus faciebant, vt ab eisdẽ conspicerentur, hoc est, vt inanẽ rumorem & aliquã vel falsæ gloriæ vmbram aucuparentur: at non gloriam à Deo sed mercedem suam à mundo acceperunt, ait Christus. Vana est & eorũ gloria (vt summatim õnia complectar,) qui potentias cõsectando, opes accumulando, honores aucupando, iusticiam propriã venando, vel pacẽ mundi, vel plausum populi, vel quietem carnis, sibi ipsi comparâre velint: quas res õnes, quamuis plausibilis ad tempus, & popularis quædam iactatio comitatur, ad extremũ tamen (quià nihil nisi vmbra & fumus Ægypti sint) sũma profectò confusio necessũ est vt cõsequatur. Et hæc de vana gloria: q̃ vitiũ maximè detestabile & pestiferũ, si D. Hier. credimus, censeri debet: scribit enim sanctus ille vir, se nouisse multos viros, Hieronymus.

viros, qui fœdas libidines coercêre, qui sitim & inediam multos dies sustinêre, qui omnes rerum asperitates subîre, qui mortẽ ipsam sponte & voluntate sua oppetere potuerunt: verùm, qui proprias laudes & honores cõtemneret, non vidisse, sed ne legisse quidem confitetur. Et eam ob rem, Paulus ipse dicit, in hoc sibi datum fuisse Angelum Satanæ, qui eum colaphis cederet, nè efferretur gloria & magnitudine reuelationis. Vera gloria omnis in Christo crucéq; eius posita & defixa est. Crux Christi non solùm passio eius est in ligno, sed totum illud vitæ eius in carne curriculum, nuditati, inopiæ, frigori, siti, ludibrijs, calumnijs, verberibus, cruci, morti, expositũ & obiectũ. Præterea, crux nostra & totius Ecclesiæ, crux Christi est: nã, tàm affluẽtèr effusa est bonitas Dei ergà nos, vt quæ bona Christi, nostra bona: quæ verò mala nostra, Christi mala dici & habêri voluit: gloria eius gloria nostra, iusticia eius iusticia nostra, opera eius opera nostra, vt Isaiæ 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis: sanctificatio eius sanctificatio nostra, hæreditas eius hæreditas nostra: ait e-

Vera gloria qua in re consistit.

nim

nim Paulus, Quem Pater pro omnibus nobis tradidit, cum eo nobis omnia donauit. Contrà, incommoda nostra incommoda eius, vt, Qui vos ladit me ladit: peccata nostra peccata eius, vt in Psalmo, Longè à salute verba delictorum meorum: contemptio nostri contemptio eius, vt in Euangelio, Qui vos spernit me spernit: blasphemia nostri blasphemia eius, vt in Propheta, Non filios Israel, sed me blasphemasti: adhæc, commoditas nostra commoditas eius, vt Isaiæ 28. Hæc est requies mea: reficite lassum, hoc est refrigerium meum. Et Matth. 25. Quatenùs feciſtis vni de his fratrib⁹ meis minimis, mihi feciſtis. Ad extremũ, passio & crux nostra crux eius est: vt primo ad Col. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Et Actorum 9. Saule, Saule, quid me persequeris? cùm Saulus nullam vim Christo, sed Ecclesiæ. 1. nobis inferebat. Præterea, cùm nos sumus corpus Christi, vt ait Paulus, & ille caput nostri, certè quicquid membra aut corpus mali patiatur, ad perturbationem capitis necessum est vt perueniat: nã scin-

de manum, & totũ caput doloribus statim erit pergrauatũ, vultus turbabitur, gena mœrebunt, oculi rigescent, os contrahetur, pendebunt labra: sensus enim omnis in capite, q̃ in membris, semper est patibilior. Et hæc cogitatio, q̃ Christus particeps sit nostræ afflictionis, facit vt nõ desperemus, nõ nimis contristemur, id q̃ faceremus, si tot passiones quasi tantùm nostras, nostris q̃ humeris tantùm tollerandas cõsideremus: nã essent & nimiùm molestæ at q̃ intollerabiles nobis, & nos illis multùm impares & inferiores. Verùm, si vna cũ Psalmista dixerimus, Propter te Domine occidimur tota die, nõ solum õnia melius sustinebimus, & cum Christo gloriabimur, quod onus nostrũ leue sit & iugũ suaue: sed magnũ etiam gaudiũ & cõsolationem in illis perferendis capiem⁹. Dicit enim Paulus, q̃ sicùt abũdant passiones Christi in nobis, ità & per Christũ abundat consolatio nostra. Porrò, sicut crux nostra crux Christi est, ità gloria nostra gloria Christi: & sic intelligẽdus est locus ille Pauli, cùm dicit, Vnusquisq̃ probet opus suum, & sic in semetipso, & nõ in alio gloriã habebit: nam gloriam nostrã,

& glo-

& gloriã habêre in ſemetipſo, vocat Paulus Teſtimonium conſcientiæ noſtræ, cùm ſumus, aut eſſe debemus, conformes imaginis filij eius, cùm rectâ incedimus, ſicùt ille per gloriam & ignominiã, per infamiã & laudem, per crucem & ſcandalum: & hoc modo ſi illũ honorificauerimus, & ille nos (vt ait Ioan.) glorificabit. Gloriâri in cruce dicitur ſuperbîre, gaudêre, & placêre ſibi ipſi in cruce Chriſti: vt 2. Cor. 12. Placeo mihi in perſequutionib. & anguſtijs prò Chriſto. Et 5. Matth. Gaudete & exultate cũ perſequuti vos fuerint homines propter me, quoniam merces & gloria veſtra copioſa eſt in cœlis. Et Act. 5. Ibant gaudentes à cõſpectu conſilij, quià digni habiti ſunt pro nomine Ieſu Chriſti contumeliã pati. De gloriãdo in cruce, Paul. 2. Cor. 1. Si gloriâri oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor. Et ad Rom. 5. Gloriamur in afflictionib. Neq; hîc volo omnes afflictiones humanas crucẽ Chriſti dici, ſed eas tãtùm, quas pro Chriſto & eius iuſticia patimur: nã paſs⁹ eſt Cain, Pharao, et Saul: paſſus eſt Pilatus, & Nero: patiũtur etiã nũc Iudæi, infideles, & falſi Chriſtiani: ſed hæ

omnes sunt improbis & quasi pœnarum ingressiones ad condemnationem. Sic crux Christi, & piorum res aduersæ, sunt bonis veræ & expressæ probationes ad perfectionem. Et hactenus quid sit gloria & vana & vera, quid crux & Christi & nostra, & quid sit gloriâri, & quomodò in cruce, apertis Scripturarum verbis aperuimus. Iàm, quarè sit gloriandum, & qui veri fructus ex arbore crucis Christi nobis sunt decerpendi, paucis explicabimus. Decidui quidam sunt crucis & vieti fructus, qui non sunt in cruce, sed de cruce exciderunt: qui in terra iacentes putrescunt, non Christo nec hijs qui in Christo viuunt placentes: sed immundis tantùm & suibus sapientes, vt superstitio, ignoratio, cæcitas. Neq; hîc probatos Ecclesiæ ritus despicio, sed omnes putidos & infrugiferos abusionis ramos decidendos esse sentio. Ascendamus nos in verticẽ crucis Christi, & veros fructus colligamus. Hæc arbor in duos præcipuos ramos se spargit: alter generalem illã omnium, qui sub legis maledicto fuerant subiecti, redemptionem: alter cunctorum, qui insiti sunt in Christo Iesu, nec amplius in

carne,

carne, sed in spiritu & sanctificatione ambulant, glorificationem continet. Agnosce ergò, ô homo, quid fecit priùs pro omnibus, & nunc vide atq; gloriâre quid facit pro Christianis: nam cùm humanum genus, malicia Diaboli, in maledictum legis fuerat conclusum, & in omnem ignominiam & obscuritatem demissimum, nostræ tamẽ imbecillitatis assumptione & crucis suæ portatione, in libertatem illam priorem & dignitatem restituit, hoc est, omnia quæ erant nostra mala accepit, & omnia quæ erant sua bona nobis tribuit. Primùm è sinu patris in terras se demisit, vt hominem ex inferorum voragine, ad cœlum vsq; duceret: & Deus factus est homo, vt homo factus esset Deus: & filius voluit esse hominis, vt homo hæres esset Dei: ex muliere natus est, vt Euæ prævaricationem deleret: vehementèr esuriuit, vt hominem sua carne saturaret: sæpiùs sitiuit, vt homo in æternum, vt ait Ioan. non sitiret: super asinum sedebat, vt hominem super angelos & potestates collocaret: seipsum vẽdi permittebat, vt hominem è captiuitate redimeret: Pilato adstitit, vt hominẽ ad

dextram patris conſedêre faceret: cruci & ignominiæ ſe obtulit, vt hominem gloriæ ac vitæ reſtitueret: & fecit ſe peccatum, & omnium peſſimum, vt hominem redderet iuſtificatum & optimum. Nam pro Noë fuit ebrius, pro Loth inceſtus, pro Moſe homicîda, pro Dauide adulter, pro Petro periurus, pro Paulo perſequutor, & deniq; pro lege lex, pro peccato peccatum, pro morte mors, vt legem abrogando libertas, peccatum damnando iuſticia, mortem deſtruendo vita vniuerſo humano generi reſtauraretur. Atq; in hunc mod̃u cùm Chriſtꝰ, Crucem, Legem, Mundum, Peccatum, Mortem, Diabolum, cruci ſuæ affixiſſet, & tot̃a humani generis vniuerſitat̃e, è tàm abiecta & iacenti conditione, ad t̃a excælſum gloriæ faſtigiu̇̃, crucis beneficio euexiſſet, adhùc etiã tantis beneficijs non contentus, omnibus illis, qui animã ſuam perdere, & carnem ſuam ac mund̃u cruci vnà cum Chriſto ſigere & mactâre (vt ait Paulus) voluerint, hanc gloriam tutam, ſartam, tectã, & ſpiritus ſancti præſidio ſeptam atq; munitam, ab õni ſerpentinæ fraudis metu & periculo vacuam cõſer-

seruabit. Nam si conformis imaginis illius (vt ait Paulus) fueris, si afflictionibus Iesu Christi (vt ait Petrus) communicaueris, hoc est, si carnem & concupiscentias tuas crucifixeris, si mundo & peccato morieris, si morti & Diabolo liber eris, si hæres non florebunt, aut vltrò dominabuntur in te, nec sensum vllum, vel illæ in te, vel tu in illis habueris, tùm non amplius tu viues, sed Christus viuit in te: nec amplius homo in terris, sed è terris, quasi deducta colonia, in cœlum DEVS commigrabis: & hîc existens quasi non existens, illic conuersationem tuam, vt ait Paulus, & totius vitæ tuæ quasi tabernaculum collocabis. Tùm non amplius hospes & aduena, sed ciuis & domesticus DEI, nec id tantùm sed cohæres cum Christo in omnem sempiternitatem fueris. Et hæc gloria nostra est, quam non mundus cognouit, nec caro nec sanguis reuelauit: hoc summum illud gaudium quod, spondente Christo, nunquàm à nobis tolletur. Ad hanc gloriam tutandam & protegendam illi, quicunq; crucem suam tollunt, & vestigijs Christi insistunt, in quascunque

afflictiones compingantur, certissima præsidia & adiumenta in cruce, hoc est, in humanitate Christi inuenîre poterunt. Nam primùm, parentibus & amicorũ ope orbatus es? Audi crucis consolationem, Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. E patrio solo eijceris, & in exilio degis? Quamuis Paulus multùm te leuâre poterit, Non habemus hîc manentem ciuitatẽ: vnicè tamen te consolabitur crucifixus, qui dixit: Vado paraturus vobis locum. Vim & persequutionem mundi times? Bono animo sis, Ego vici mundum. Maledictum legis extimescis? Perfectio legis Christus est ad iusticiã omni credenti. Facẽ peccati abhominaris? Eccê agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Diaboli tyrannidem vereris? Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicq̃. Mortis aculeum exhorrescis? Mors ero mors tua, & viuo ego, vt vos in æternum in me viuatis. Ergo, cùm à lege ad libertatem, à peccato ad iusticiam, à morte ad vitam, à Diabolo ad Christum, crucis beneficio, adducimur. Absit mihi gloriâri, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.

Ego

Ego testimonium ab homine
non accipio, sed vt
uos salui sitis.
Ioan. 5.

SVmmum illum Dei Patris ergà hominem amorem potiùs admirâri, quàm vel mediocri aliqua laude eum celebrâre possumus, qui non solùm omnia, quæ essent scribenda, in nostram doctrinam scribi voluerat, & fragmẽta illa panum & piscium in cophinos in spem multorum colligi iusserat: sed omnem etiam suam Deitatem, ad vtilitatem humani generis amplificandam conuerterat, & fere (vt ita dicam) in nostram naturam, nostro amore, penitùs se transfuderat. Nostri enim caussa, & irasci & subsannâre, aures manus & pedes habêre, & pro nobis in alios irridêre legimus, quas res in illo esse suspicâri, non impietatis tãtùm, sed crassæ cuiusdã dementiæ esset. Eôdem modo Christus, cùm sit summa bonitas & summa scientia Patris, sciri tamen per aliorum testimonia, vt homines salui essent, non dedignabatur: quæ sa-

nè teſtimonia omnia ipſi Chriſto, nec lucẽ nec authoritatem vllam adijcere potuerant: & hoc eſt quod dicit, Ego teſtimonium ab homine non accipio. Nàm, cùm Chriſtus, Aut vos eritis mihi teſtes, non ſolùm Hieroſolymis &c. Et in Actis Petrus, Nos teſtes ſumus, omnium quæ fecit Ieſus in regione Iudæorum: & Ioan. 1. Non erat ille lux, ſed vt teſtaretur de luce. Hæ ſcripturæ omnes in hanc ſententiam ſunt accipiendæ, quòd Chriſtus, non ſui cauſſa opus habuit teſtimonio, ſed homines hoc egerunt, vt faciliùs crederent Chriſto. Clariſſimum de Chriſto teſtimonium perhibuit Pater, cùm diceret, Hic eſt filius meus dilectus, in quo benè mihi complacitũ eſt. Et Ieſum eſſe Chriſtum teſtantur opera Chriſti: nam cùm Ioan. duos ex eius diſcipulis ad Chriſtum, non quòd ipſe dubitaret, ſed vt illos confirmaret, miſiſſet, vt interrogarent illum, An eſſet Chriſtus, vel alium expectarent? Non ſtatìm nomen ſuum indicabat, ſed re ipſa illud patefaciebat, cùm dixerat, Dicite Ioan. cæci vident, claudi ambulant, &c. vt cùm viderẽt opera, qualia præter Chriſtum

ſtum nemo operâri potuiſſet, tùm firmitèr crederent, quòd teſtimonio illorum operũ Chriſtus illis ſignificatus fuiſſet. Porrò, cũ Chriſtus in ſcripturis aptè & congruentèr quidem Sol dicatur, vt in illo Zachariæ, Viſitauit nos oriens ex alto: & Ioannes Baptiſta a Dauide Lucerna nominetur, vt illic, Paraui lucernam Chriſto meo: profectò, non magìs Chriſtus teſtimonio Ioãnis egebat, quàm opem lucernæ in medio die ſol deſiderat. Præterea, ſi teſtimonio Ioannis Chriſto nihil ſit adiectio, nõ eſt vt aliorũ teſtimonia requiramus, cùm Inter natos mulierũ maior Ioanne Baptiſta nullus vnq̃ ſurrexerat. Et hæc de priore, quod ideò breuiùs ꝑſtrinximus, quoniã in poſteriorem longè diligentiores fuerimus.

Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu perſequutiones patientur. 2. Tim. 3.

DOminus noſter Ieſus Chriſtꝰ, qui fuit, eſt, erit lumẽ & ſplendor Dei Patris, per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitâre nos, velùti oriens ex alto, dignabatur: vt omnes homines in hunc mundum venientes, qui lucem illam non reiecerunt, vultus

ſui

sui splendore illuminaret: & omnium hominum pedes, qui in tenebris, & in vmbra mortis sederent, in viam pacis dirigeret atq; confirmaret. Hic est qui (attestante Psalmista) saluos nos fecit, quoniàm voluit nos: voluit enim omnes, omniumq; generum & conditionum homines saluâri, & ad agnitionem veritatis per Euangelij sui prædicationem peruenîre, vt nulla omninò existeret condemnatio hijs, qui insiti in eo essent, modò non in viam carnis ambularent, sed omnem vitæ suæ cursum, clauum regente spiritu, gubernarent. Itaq; Diuus Augustinus, vt vitam omnium diuinæ voluntatis prouidẽtiæ assignandam, ità mortem omnium humanæ voluntatis negligentiæ imputandam esse iudicabat. Ergo, cùm omnes, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persequutionẽ patientur, hoc est, vel (vt ait Paulus) per patientiam, probationem, spem, ad vitam æternam peruenient: vel (vt ait Christus) regni Dei possessionem quasi hæreditario quodam iure occupabunt: nam qui compatiuntur, vnà cohæredes erunt & conregnabunt. Et cùm hæc sit promissio eius,

eius, qui semper iustus & nunquàm mendax (vt ait Paulus) extiterit, cùm hæc sit spes illa nostra, afflictionis comes atq; socia, quæ nunquàm confusa, sed semper certissima fuerit: hij ergò, qui nescio quid de prædestinatione somniantes, nullam aut honestæ aut flagitiosæ vitæ rationem habent, præterquàm quòd certissimä salutis suæ viam, cũ desperatione quadam insigni, ignauè negligentes, re longè inexplicabili, nec vnquàm vlli vel angelo cœli cognita sese irretiuerint, stulti meritò sunt habendi: præterea etiam, quòd tàm immortale certumq; beneficium, quale nunquàm nec in terris, nec in cœlis audiebatur, contempserunt, ingrati impijq; sunt censendi. Nam, qui vitam suam in tàm angustos prædestinationis terminos, & velutì cancellos quosdam includunt, & in ea re sola perpetuas cogitationes suas ad stuporem vsq; defigunt, præterquàm quòd omnem prouidentiam, omnemq; vitæ melioris gerendæ curam atq; rationem abiciunt, totos se pronos, expansissimo illo gratiæ velo contempto, Christoq; clauo tutissimo deserto, & Ecclesiæ naue fundatissi-

ma

ma relicta, in immensum illud flagitiorum pelagus, stupida & insensili quadam salutis suæ desperatione miserè præcipitant ac deuoluunt. Est hæc ergò sententia certè cuiusdam consolationis plena, Omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu persequutionẽ patientur. Qui volunt piè viuere in Christo Iesu] Neq; hîc retexendum, neq; leuiter quidem attingendum perplexum illud & implicatum de Libero Arbitrio caput esse iudico, sed quasi huius loci & instituti minimè proprium prætereundum potiùs censeo: hoc satis & tantùm de hac re à me dictum sit, Humanam voluntatem Adami lapsu multùm esse deprauatam, & velutì in domum quandam pessimè materiatam redactam, eandem verò mortis Christi beneficio insigni quodam modo esse reparatam, & quasi nouo aliquo lumine & nitore mirificè esse illustratam. Quid hîc voluntas sit, liquidè ex alijs Scripturæ locis omnibus innotescit: aliquandò enim amor nominatur, vt in eo Psalmo, Quis est homo qui vult vitam, & diligit vidêre dies bonos? nouumque studium, vt ad Hebræos sex-

to,

to, Cupimus autẽ vt vnusquisque vestrũ idem præstet studium, ad plenam spei certitudinem, &c. & alibi Iesus, Vt zelum habent, sed non secundùm scientiam. Velle ergò, hoc in loco, est promptam quandam & paratam animi inductionem ad quiduis præstandum habêre, quod conatus fueris. Viuere piè in Christo Iesu] Viuere, est omnium hominum Iudæorum, Turcarum, Christianorum, Regum, Subditorum, Publicorum, Priuatorum, Sexuum, & Ætatum, vitæ conditio, id quod proprio quodam nominè à Paulo, inter Christianos, vocatio dicitur. Sunt ergò qui viuunt, & id tantùm: nam neq; pium aliquid in Christo, neq; extrà Christum moliũtur, vt Iudæi, & Saraceni. Est aliud genus hominum, quorum partìm in Christo, partìm extrà Christum, vt ità dicam, pie viuunt, qui omnes communi quodam nomine, postquàm baptismate regenerentur, Christiani appellantur: quod nomen primùm illis in Antiochia inditum est, vt refert in. 11. Actuum Lucas. Et hic cœtus cùm contineat in se bonos & malos, triticũ & zizaniam, Hæreticos & Papi-

Velle quid.

Viuere quid.

Ecclesia militans.

Papistas, Ecclesia militans vocatur. Et primùm quidèm, quid sit piè viuere in Christo Iesu, ex fonte Scripturarum, & sanctorum Patrum riuulis exhauriendum esse iudico: volo enim omnem orationis meæ sermonem & cursum, vel verbi Dei authoritate, vel Patrum testimonijs, tanquàm velis quibusdam & clauis, regi

Pietas in Christo

atq; gubernâri. Est pietas ergò in Christo, quam Græci aptè & planè εὐσεβείαν vo-

Chrysostomus.

cant, vt definit D. I. Chrysost. ἡ μετὰ πίστεως ὀρθῆς, ἐπιμελέια τοῦ βίου. 1. Coniuncta cum recta & sana fide diligens viuendi ratio. Est autem recta & sana fides, vt

Sana fides.

Græca scholia tradunt, quæ nihil in se externum continet, nec Iudaïcum, nec Græcum, nec Hæreticum, nec Papisticum, sed quæ se in præfixos verbi Dei terminos abdiderit & incluserit. Nàm quemadmodùm nulla caro, ab illa immensa illuuione fuerit erepta, quæ in Arcam Noe sese non receperat: ità, nullam in Christo Iesu pietatem esse existimem, quæ non omnem, quem instituerit cursum, in sola Arca testamenti eius (vt ait in Apocalypsi Ioannes) ad exoptatissimum portum Christũ confe-

confecerit. Præterea, volo pietatem sic Christo ineſſe (quamuis leuiore exemplo vtar) quemadmodùm accidens aliquod inſeparabile, quod nullo modo à ſubiecto, nec actu nec potentia, ſeparâri poteſt. Hanc pietatem & cultum diuinum habuit Paulus, qui dixit: Quis nos ſeparabit a dilectione Dei? &c. Si quis explicatiorẽ rectæ & ſanæ fidei inſtitutionem requirit, ſanctiſſimum ſanctiſſimi viri Athanaſij ſymbolum perlegat. Altera pars huius definitionis in ratione viuendi vertitur, quæ duobus locis, vno Dauidis, altero Pauli, velutì penicillo quodam depingitur. Dauidis hic eſt: Quis eſt homo qui vult vitã, diligit dies vidêre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua nè loquantur dolum: diuerte à malo & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam. Pauli ad Titum. 2. eſt, Abnegemus impietatem & mundanas concupiſcentias, ac ſobriè, ac iuſtè, & pie viuamus in hoc ſeculo, &c. Sic ergò pietas illa in Chriſto Ieſu, & ex fidei ſanitate, & ex vitæ integritate cõflata eſt atq; perfecta. Pietas verò extrà Chriſtum eſt zelus quidem, ſed non ſecundùm

Pietas quomodo in Chriſto.

Pſal. 34.

Tit. 2.

Pietas extra Chriſtum quid.

scientiam, quæ stulta quadam officij ergà DEVM opinione inniti videatur. Itaqué, non omne quod à bono proposito proficisci dicitur, statim DEO placet, sed quod præcepto DEI, eiusquè voluntate comprobâri solet: Est enim via (Prouerbiorũ. 14.) quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem. Sic pius erat Saul, qui iussus à Domino, vt omnes hostes eius vsqué ad mingentem ad lapidem trucidaret, vt aurum & argentum eorum & opes vniuersas igni perurenda traderet, cùm tamen zelo & pietate quadam templum DEI decorandi, aurea quædam monumenta reseruarat, paritèr & è regno, & è perpetuo DEI fauore eiectus & deturbatus fuerat.

Pietas Sauli.

Sic pius erat Petrus, qui cùm Christus crucem & mortem suam Apostolis prædicabat, assumens illum pia quadam mente dixit, Propitius tibi sis Domine, nequaquàm erit tibi hoc: sed audiebat contrà à Domino, Vade pòst me Satana, scandalum es mihi. Vt præteream quod idem Petrus pia ergà Christum

Pietas Petri.

ſtum voluntate Malco aurem præciderat, ſed hanc gratiam à CHRISTO reportabat, Qui gladio percutit, gladio peribit.

Quid vas illud DEI Paulum referam? qui cùm ſatis piamente ſtimulum carnis auferri ſibi oraret, reſponſum accepit, Sufficiat tibi gratia mea. Atqué vt à ſanctis illis viris deflectat oratio noſtra, quid turba illa Fratrum & Monachorum noſtrorum, vt ſibi viſi ſunt, admodùm pia, qui in multis & non loquacibus ceremonijs, nec è priſca patrum memoria profectis, ſpem magnam figebant: qui principum imperia excutientes, & ab omni honeſta politeia ſe abducentes, in domicilia quadam propria ſe abdiderunt, & non è mundo, quemadmodùm illi falſo mentiebantur, ſe deduxerunt, ſed in mundo principatum quendam tenebant, & in omnia carnis opera, immunditias, ebrietates, commeſſationes, ſimulachrorum cultus, contentiones, æmulationes demerſi ſunt atqué deoluti: artis Magicæ quàm Scripturæ peritiores, mundi quàm DEI

Pietas Pauli.

Fratrum & Monachorum pietas, ſuperſtitioſa.

studiosiores, Papismo quàm Christo multò addictiores. Et hîc memorâri possunt quidam nostrates, qui olim, & vera pietate, & præstantissimis ingenijs instructi, postea tamen cõtrà omnem pietatem, Papæ, quàm in Christo Iesu, Regi, parêre maluerunt. Sed Deus optimus est orandus, vt nec hijs nec cõsimilibus peccata sua imputâre velit. An non nominatim perstringam Reginaldum illum Polum, quo, inter vtrumq; polum, sceleratior & abhominabilior nũquã extitit, qui pietate, si dijs placet, extrà Christum? non, sed impietate inaudita in Diabolo, non solùm à Patria ingrate, à Rege perfidiosè, à Christo impie velutì ignauissimus quidam Demas ad Papam & Diabolum defecit: sed ingentem quãdam perditorum hominum facem & colluuiem in easdem sordes inuoluit. Atq; vt hinc ad aliud hominum genus, vt ab hijs longè diuersissimum, ità omni scelerum labe aspersissimum perueniam, sunt quidã, qui vt illi κατ' ἀντίφρασιν religiosi, qui longissimè abessent à religione: sic Euangelici ab Euangelio, & dici & habêri contendunt. Hi pietatis speciem legendo

Reginaldus Polus optima nominis allusione perstringitur.

Euan-

Euangelium habentes, virtutem tamen eius improbitate vitæ negantes, testamentum Dei prophanant: nam omnem carnis libertatem sibi vendicantes, cunctos bonos ritus, qui (vt omnia in ecclesia decenter fiant,) salutariter, & cum scripturis traditi sunt, conuellentes, & rectæ pietatis perturbatores, & verbi Dei male audiendi authores existunt. Itaq3, vita nostra, quasi nauis quædam, sic cursum suum in medio horum scopulorum tenêre debet, vt neq3 ad Charibdin Euangelicorum illisa, nec ad Syllam Religiosorũ attrita & absorpta sit. Et hactenùs à nobis de hijs qui pie volunt viuere, sed non in Iesu Christo, explicatum est. Quæ sequuntur breuiter perstringã. Persequutiones patientur.] *Est hic locus huius disputationis maximè meo iudicio proprius, de quo ità nobis est dicendum, vt primùm, Quid sit persequutio: tùm, Cùr patimur: ad extremum, Quòd omnes, præcipuè viri pij & Christi imitatores, persequutiones patientur. Est autem persequutio tentatio quædam, qua fides nostra quasi aurum igne indies probatur & exercetur. Persequutio-*

nis princeps & dux est (Vita enim nostra militia super terram, ait Ioannes,) Diabolus: Tribuni militum, & quasi primipili quidam Mundus & caro, Milites sunt gladij, timor, scandala, sectæ, hæreses, scommata, insidiæ, vincula, carceres, verbera, naufragia, præcipitia, conciliabula, frigora, calores, fames, inopia, nuditas: & in hijs Veterani quidam milites, vt lingua dolosa, labia iniqua & falsi fratres, & id genus alia, quæ in sacris literis recensentur. In hijs infestissimi milites semper fuerunt, sunt, erunt falsi fratres, qui delatores perfidi & quadruplatores pessimi, corpus, animam, nomen vnà perdere omni contentione moliuntur. Atq; hæc non mea sententia est, sed D. Augustini, qui suprà hunc locum ait, Cætera pericula quiescere possunt, pericula à falsis fratribus vsq; in finem seculi cessâre non possunt. Huius militiæ (si placet) Dictatorem constituemus ipsum Deum, qui dictauit Diabolo quousq; in affligendo Iob progrederetur, & qui nos vltrà vires tentâri nunquàm sinit. De persequutione ergò & eius militia, & qualis sit, ità à nobis statuatur.

Quarè

Quare patimur, ex ipso scripturarum fonte omnis nostra oratio quasi riuulus quidam accersenda & deducenda est. Primùm affligimur vt probemur, vt Exodus. 16. dixit Dominus ad Mosen, Ecce ego pluam vobis panem è cœlo, & egredietur populus, & colliget de die in diem, vt tentem eum vtrùm ambulet in lege mea an non. Et Deuteronomij. 8. Memento omnis viæ tuæ per quam ambulâre te fecit Dominus DEVS tuus, iàm quadraginta annis in deserto, vt affligeret te, vt tentaret te, vt sciret quæ sunt in corde tuo, vtrùm custodires præcepta eius an non. Quare patimur. Exod. 16. Deut. 8.

In similibus exemplis citandis, & temporis recensendi inopia, & inueniendi copia plurimùm laborarem, cùm venio ad nouum testamentum, video longè sublimiorem persequutionis euentum tradi. Sic Christus, Afficiemini mœrore, sed mœror vester vertetur in gaudium, & in tale gaudium, quod nemo tollet à vobis. Sic Paulus, Gloriamur supèr afflictiones, scientes q̃ afflictio patientiã pariat, patientia ꝓbationem, ꝓbatio spem, quæ spes nunq̃

confunditur. Et alibi Paulus, sed longè memorabilissimè, Simùl cum eo patimur, vt vnà cum eo glorificemur. Sic Iacobus, Beatus vir qui suffert tentationes, quoniàm cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit dominus his qui diligũt eum. Sic Petrus, Nunc ad tempus affligi variis tentationibus, si opus sit, vt probatio fidei vestri multò pretiosior auro quod perit, & tamen per ignem probatur, reperiatur in laudem, & gloriam, & honorem, tùm cùm reuelabitur Iesus Christus. Ex hoc loco Petri definitio illa persequutionis, quæ à me tradita est, velutì ramus quidam ex arbore, decisa est. His sacris scripturæ locis Distichon quoddam doctissimi simùl & integerrimi viri Ioannis Redmanni quasi coronidem quandam adijciam.

Ioannis Redmanni Distichõ.

Exercet prauam non praua molestia carnem,
Vt queat in tuto spiritus esse vado.

Prætereà, cùr iusti plus quàm mali premuntur, facilis est responsio. Ideò hîc pre-

premuntur iusti, quià quasi peregrini & aduenæ sunt, atq; aliena in patria detinentur, manentem hîc ciuitatem non habentes, sed aliam longè expectantes: mali hîc minùs premuntur, sed securiùs lætantur, vt alio in loco grauiùs puniantur. Iusti aliquandò non premuntur, nè virtus & probitas nimìs odiosa videatur: mali aliquandò hîc cruciantur, nè vitia nimium bona & plausibilia esse indicentur. Postremò, iusti hîc premuntur, vt in apparitione Christi, (testante Petro) laudem, gloriam, & honorẽ accipiant: non omnes mali hîc vexantur, ne dies illa iræ & resurrectionis expectatio penitùs è memoria hominum excidat. Vt õnes persequutiones æquo animo ferantur, infinita sunt quæ nos impellunt & adhortantur: nam primùm (vt Hemistichio Nasonis in re sacra, vt non inepte, ita minùs impiè vtar.)

Dulcis erit mercede labor.

In præsenti enim vita, labores & stadium: in futura, præmia, & coronæ. Præterea, cùm in hoc vitæ nostræ curricu-

lo comparatum est, vt anteà perferatur labor, maria traijciantur, quàm videatur merces: sudores exantlentur, glacies hyemesqué tristes sollicita quadam spe superentur, quàm fructus percipiantur: adeantur discrimina, quàm postulentur coronæ. Cùmqué nos ad eam fructus spem enitimur & contendimus, quem non venti & tempestates, duæ res incertissimæ moderantur, quem non absorbet naufragium, non proterit calamitas, non ensis rapit, sed in æterno quodam tenôre atque perpetuitate vigeat & efflorescat, certè & labores hij, quibus ad illius fructus vsuram & occupationem perueniendum sit, non solùm leues & perfaciles, sed iucundi & suaues sunt habendi: & nos, si torpore vllo aut mollitia labores illos deuitemus, aridi, sinè oleo, sine veste, adeòqué serui nequàm & inutiles, merito quidèm nostro meritissimo, sumus censendi.

Quamobrèm persequutiones patimur, satìs à nobis fusè & copiosè explicatur. Quod nostræ orationis est residuum, breuem

nem quandam (id quod pollicebamur) Christi imitatorum recensionem complectatur. Et primùm, quemadmodùm ad omnia membra vnius corporis, vel exiguæ partis dolor diffunditur : ità vniuersa DEI ECCLESIA vexatur, si vel vnum membrum eius afflictione aliqua teneatur. Dicit enim Augustinus, nullam esse grauiorem boni viri persequutionem, quàm cùm aliquem in peccatum incidisse sentiat. Patiuntur & patientur ergò omnes. Sympatheia Ecclesiæ DEI.

Sic Abraham è patrio solo eiectus, vxoris sterilitate confectus, inopia victus, longinqua difficiliqué peregrinatione lassus, vxoris pulchritudine in discrimine vitæ positus, nè filij parricida existeret, mœrore agitatus persequutionem patiebatur. Abraham.

Isaac eodem ferè modo cum patre, victus inopia, longinqua peregrinatione, vxoris pulchritudine afflictus premebatur. Isaac.

Sic Iacob, fratris odio, Laban soceri sui iniuria, Liæ lippitudine & fastidio, Rachael forma & desiderio miserè vexabatur. Iacob.

Si in

Iob. *Si in vitam Iob & graues eius persequutiones sermonis nostri cursum inflecterem, introitus latissimus, iter viarum varietate perplexum, exitus sanè nullus patêret. Quid Dauid? quantis primùm Saul, deìn Absalon (vt interiectas afflictiones præteream) eum persequutionibus*

Dauid.

Prophetę. *inuadebant? Omittam etiam Prophetas illos vniuersos, qui non solùm persequutiones, sed ipsam mortem oppetierunt.*

Christus. *Quid Christum ipsum referam, qui nullam aliam à patre hominem reparandi viam habebat, quàm afflictionem per crucem, per mortem? Quid cæteros Apostolos? Quid Paulum illum? qui dùm omnia sua tempora Christianorum temporibus transmittenda esse iudicabat, in insidias, verbera, carceres, naufragia, conciliabula, & id genus alia discrimina præci-*

Paulus.

Primitiua Ecclesia. *pitabat. Quid vniuersam illam Primitiuam Ecclesiam, vbì vix centesimus quisquè pius vir, vnum aut alterum annum superâre poterat? Iure præterire non de-*

Triginta martyres ecclesię Romanę. *beo triginta illos ecclesiæ Romanæ & syncerę religionis antistites, qui singuli, (modò annalibus fides habenda sit,) non tàm*

viuen-

viuendi integritate sese ornabant, quàm praesenti & intrepida quadam pro Christo moriendi constantia, cùm Deo tùm posteritati omni sese commendabant. At postquàm abhominatio desolationis sanctum illum locum irrepsisset, vna ab omni vera in Christo Iesu pietate vrbs Roma excidebat, & ab omni graui persequutione satìs cautè sese communiebat.

Vrbs Roma deficiens a Christo, non patitur cum Christo.

Pauca desunt.

Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Ioan. 15.

DOminus noster Iesus Christus mortem iàm iàm, vt vitam omnibus restitueret, subiturus: & ad patrem, vt locum nobis pararet, ascensurus: Apostolos suos & discipulos, nec eos tantùm sed cunctos, qui per sermonem illorum crediturì essent in Christo, in summum mœrorem & sollicitudinem post eius discessum inijcere videbatur. Quapropter, vt eorum animos in quan-

quandam quasi desperationem abiectos & demissos leuet & recrearet, semota turba, apud illos orationem non solùm parabolis & mysteriorum circuitu vacuam, sed spei certæ, gaudij, pollicitationis, consolationis plenam, vt est apud Ioan. 10. 4. 5. & 6. habebat. Nam primùm spiritum suum omnis consolationis datorem promittit, qui mœrorem illorum in gaudium verteret perfectum, qui patrem, qui omnem illis ostensurus esset veritatem: deinde, pollicetur se iterùm reuenturum ad illos, & illos ad se assumpturum, vt vbi ipse esset, illi essent: postremò, nè mundi intereà sæuitia, qui Christum & qui sunt Christi semper odit, oppressi, nè rerum inopia nimìs coarctati, in nimias angustias compellerentur, opem suam præsentem semper illis pollicetur, hortans, impellens, iubens vt peterent, dicens, Hactenùs non petistis quicquam, petite & accipietis, nec vllam repulsam patiemini: imò, quicquid illud cunq; fuerit, quod petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Iactate curam vestram in me, in me respicite, in omni tempore, nam semper pauperes eritis: sine vlla intermissione, nam

nam semper egebitis: in spiritu & veritate, non carnis viribus & mendacijs fisi: quem modum orandi seruus meus Paulus spiritu meo ductus, latiùs posteà explicabit.

Non laudem & iactationem mundi in plateis orantes quærite, nè pars vestra ponatur cum hypocritis, & sic non à me, sed à mundo mercedem capietis: neque ἐκτολογίαν *in precibus accumulate, sed auferte (vt dixit Amos Propheta meus,) tumultum & turbam carminum vestrorum: nec faciatis vt Ethnici, qui putant se ob multiloquium suum exaudiri. Prudentèr ergò dixit Solomon, In multiloquio non deerit peccatum. Quapropter, vos ad vtilitatem vestram, non ad laudem aliorum: mente, non labris: fiducia, non hæsitatione: veritate, non hypocrisi preces vestras in sinum Patris fundite. Et hoc totum est, quod dixi Petite.]*

Battologia, siue multiloquium.

Quid verò sit petendum, & quid primùm petendum, alio tempore vos abundè satis docui: nempè, Primùm quærendum esse regnum DEI, & tùm cætera omnia facilè adijcerentur vobis.

Quid petendum?

Nam

Nam si quæratis quæ sunt spiritualia, propter honorem meum, & hæc vnà cum omnibus temporalibus capietis, ad magnam gloriam vestram. Si enim me honorificabitis, & vos ego glorificabo. Primùm ergò exoptate, vt nomen Patris mei in omnes gentes sit sanctificatum, hoc est, vt omnes cognoscant illum verum & solum esse Deum, & quem misit Iesum Christum, vt prædicatio Euangelij & nominis Christi liberum cursum ad generalem, per omnem terrarum orbem, Ecclesiam meam fundandam habeat: vt vos & ego quasi vnum corpus simus, purum, immaculatum, & sanctum, neq; vt vlla pollutione à corpore & nomine meo separemini, sed mecum quasi coniuncti & adhærentes, omnis hæreditatis & regni mei participes sitis. Ad quod regnum consequendum, non debetis anniti vestris viribus aut cerebro, sed totos vos semper ad Patris mei voluntatem deferatis, hoc est, siuè fueritis reges, pastores, & magistratus, siuè plebei & subditi, iuxtà voluntatis meæ testamentum, & quæcunquè in eo conscripta fuerint, vitam vestram instituatis.

Sic

Sic primùm quærenda est gloria patris, tùm vestra salus spiritualis, quas res si primùm verè quæratis, audacter ad cætera, quæ sunt vitæ vsus & necessitatis vestræ, vt panem, vt victum quotidianum, vt sanitatem, vt pacem & tranquillitatem animi, & alia vitæ commoda, quibus patri meo liberiùs inseruire potestis, aspicite & expectate. Præterea, cùm quamdiù in mundo fueritis, vt non peccetis, nullo modo effugere valetis: nam si dicetis quòd peccatum non habetis, mendaces estis, nec veritas in vobis est: indesinenter orate, vt illa vobis remittantur, vos ipsos inter vos, quasi sacramento quodam astringentes, vos mutua vestra delicta remissuros, quo nihil Patri meo ad vestra vobis peccata condonanda potest esse impetrabilius. Ad extremum, cùm Diabolus omnia loca & tempora circuit, quærens quem deuoret, hoc diligenter precibus vestris præcauete, nè in fauces eius incidatis: de quo Diabolo propterea vltimo loco vobis dixi, quòd sic erit mea virtute & cruce depulsus atq; debilitatus, vt quamuis non multùm erit vobis formidabilis, tamen de-

clinatio eius tàm vobis erit neceſſaria, vt illud in precibus veſtris omittere non debeatis. Iàm quid ſit petere, & quid ſit petendum accepiſtis: quæ omnia, ſi in nomine meo faciatis, Pater omnes petitiones veſtras adimplebit. Nam, quemadmodùm ſolus ego ero pontifex, vt omnia mundi peccata cruci affigam, vt illìc ſacrificem & mactem: ſic ego ſolus ſum precum & indigentiarum veſtrarum ad Patrem deportator: nam ego ſemper & ſolus interceſſor & aduocatus veſter, ego thronus gratiæ, propitiatorium & mediator veſter, ego patri ſolus dilectus, nemo aſcendit ad cœlum, nemo ad patrem niſi ſolus ego. Ergò ſi aliquid impetrâre velitis, hoc in meo nomine facietis: ne aliò deflectatis, nàm ego ſum via: nè latebras & feneſtras quaratis, nam ego ſum oſtium & ianua: nè diffidatis, nam ego ſum iuſtus & ipſa veritas: nè in tenebris palpetis, nam ego ſum lumen de lumine, & ſplendor Patris. Prætereà, cùm in nomine meo Dæmonia eieciſtis, cùm morbos & infirmitates depuliſtis, de cæteris rebus nè deſperate: nam nominis mei confeſſione cœli aperiuntur,

untur, tyrannis mundi deuincitur, Diabolus conculcatur, & noua quasi facies & regeneratio hominis instituitur. Et quamobrem? Nam nemo potest dicere IESVM CHRISTVM nisi in spiritu sancto. In nomine meo.] Hoc est, in voluntate patris: sum enim ego filius ille dilectus, in quo sibi complacuit. Sit hæc ergò fiducia vestra apud DEVM, quòd, si quid petieritis, secundùm voluntatem eius, audiet vos. Vel, in nomine meo.] Hoc est in spiritu, veritate, & fide: nam pater meus odit hypocrisin & mendaces, qui diligunt ore & lingua, cùm cor eorum procul sit ab eo: aspernatur hæsitantes, nam nihil hij accepturi sunt ab eo: Oculi enim Patris mei (vt ait Ieremias Propheta) in fidem respiciunt, & fidei oratio penetrat cœlos. Quamobrem, dico vobis, Quæcunq; orantes petitis, credite quod accipietis, & erunt vobis: nam si petitis, & non accipitis, eò fit, quòd malè & non in fide petitis: ad concupiscentias enim vestras explendas, nõ ad voluntatem Patris petitis. Nescitis vos quid expedit vobis, at Pater priusq̃ oratis nouit qua re opus habeatis.

Etenim, si mala petieritis, nõ impetrabitis. Quare? Nam non in nomine meo, hoc est, neq; ad vestram salutem, neq; ad patris voluntatem petitis. Prosperas enim res petetis? Videte nè corrumpant vos, & nimiùm feroces reddant. Longitudinem dierum postulabitis? Sed eccè quàm dies malæ sint, & quàm præstat dissolui & mecum esse. Cauete ergò petatis quæ cum malo vestro accipiatis: nam seruus meus Paulus, quamuis tèr rogabit patrem vt angelum Satanæ tollat ab eo, non impetrabit: etenim, quod Paulo videbitur sibi esse impedimentum, hoc a patre meo iudicabitur ei necessarium. Quamobrem, petite secundùm eius voluntatem, & gratia eius satis superqué vobis in omnibus sufficiet. Itaq; ego in Psalmo in persona vestra, & totius Ecclesiæ meæ, quæ non semper exaudit vos, Patri quodam modo gratias ago, dicens, Verba derelictorum meorum clamaui ad te per diem, nec exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi: hoc est, Nocte dieq; clamabitis, & Pater non exaudiet, & tamen hoc ipsum, quòd non exaudiet, non ad malum vestrum & insipientiam

tiam non exaudiet, sed magis ad bonum & sapientiam vestram non exaudiet, vt intelligatis quid à Patre petere debeatis. Sequamini ergò vos non voluntatem hominis, sed voluntatem Dei: nam quatenùs ego sum Christus, hoc est, Deus & homo, vtrasq; has voluntates in me, humanā & diuinam, multùm inter se diuersas & dissentientes habeo. Itaq;, quandò oro Patrem iuxtà humanā voluntatem, non impetro, vt quandò dico, Pater, si possibile est transeat à me calix iste: sed ex diuina voluntate aliud sentio, addens, Non sicùt ego volo, sed sicut tu. Igitùr, si Paulus, qui videbitur prudenter petere, vt stimulus carnis tollatur, non impetrabit: si ego ipse, & in persona Ecclesiæ, & in persona mea, sed iuxtà humanam voluntatem orans, voti compos non ero, ne mœrore vos ipsos conficiatis, si vel ad temp⁹ repulsi, vel omninò aliquibus votis frustrati fueritis. Nam vt quadam obtinuisse, ità quibusdam caruisse summum beneficium reputâre debetis. Etenim, si aliquod bonum dabit Pater, accipietis beneficium: sin aliquod malum auertet Pater, accipietis beneficium. Sic,

siuè accipiatis siuè non accipiatis, beneficium semper aliquod à patre capietis. Ergò, si primùm quæ sunt regni DEI, tùm quæ vestræ necessitatis quæratis, & ea omnia in nomine meo, hoc est, in spiritu, in fide, in iusticia, in voluntate, & beneplacito Patris a Patre petatis, impetrabitis: nam,

Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.

EXPO-

EXPOSITIO-nes antiquę in epistolas DIVI PAVLI AD TITVM, ET PHILEMONEM, ex diuersis sanctorum Patrum Græcè scriptis commentarys, ab Oecumenio collectæ, & Cantabrigiæ Latine versæ à Rogero Aschamo: An. Do. 1542.

¶ Argumentum epistolæ ad Titum.

HANC ab vrbe Nicopoli mittit epistolam: nam ibi hyemabat. Occasio autem scribendæ Epistolæ huiusmodi fuit. Paulus enim in Creta Titum reliquerat, vt in singulis ciuitatibus Clericos constitueret. Cùm autem plurimi ibi essent, qui prętextu Legis, populum decipere conarentur, hoc cogni-

to, scribit Paulus. Et primùm quidem, propter ipsius pietatẽ Deo agens gratias, significat, fidem, quę in Christum est, recentem non esse, sed hanc ex seculo præparatam, & a Deo annunciatam fuisse. Deindè, de Clericorum agit constitutione, & hunc docet, quomodò & quales ipsos esse oporteat. Et ei precipit, vt sanæ fidei contradicentes vituperet, sed hijs maximè, qui sunt ex circumcisione: quòdq; otiosos Cretẽses esse, & increpatione indigêre nouerit, docens cibos omnes puris esse puros, & quales esse oporteat seniores mulieres, quę adolescentiores debent modestas reddere. Adhortatur autem, quomodò seruos oporteat suis dominis, omni submissione, subseruîre. Postremò, cõmonefacit, quòd gratia spiritus, nos non ex operibus, sed ex sua benignitate iustificauerit. Et cùm ei annunciasset, vt, quę in lege sunt, contentiones declinaret, vtpotè, quę pudorem incutiunt, & confusionem, declarat ei, vt ad se gressus dirigat, vbi Arteman ad eum miserit.

Precipit

Præcipit verò ei vt ſuos bonis præeſſe operibus doceat: & ſic concludit epiſtolam.

¶ *Theodoreti argumentum in eandem.*

TITVS præclarus erat egregiuſq; Pauli diſcipulus: Cretæ verò, quæ maxima erat, a Paulo deſignatus Epiſcop⁹: commiſſum ei erat, vt inferiores ille deligeret & deſignaret Epiſcopos. Cùm hęc ſcriberet Paulus, in libertate erat: nuſquam enim afflictionum meminit. Extenditur verò & ad Iudæos Epiſtola. Hæc autem prior eſt quam illa ad Timotheum Epiſtola.

¶ *Capita earum rerum quæ in hac Epiſtola continentur.*

α. *De doctoribus idoneis ad Miniſterium, & redargutionem non obtemperantium.*

β *Contrà eos, qui carnales annunciabant purificationes, & de spirituali virtute.*

γ *Adhortationes quæ tradi debent, iuxtà ætatem, singulis.*

δ *De seruis, vt ipsi quoq; digne ad Christi gratiam seruiant.*

ε *De Principum obedientia, quæ Christi mansuetudini congruat.*

ζ *Adhortationes de fugiendis & declinandis hæreticis quæstionibus.*

Epistolæ Pauli ad Titum Caput primum.

1 PAulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi, iuxta fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quę secundùm pietatem est.

2 In spem vitę ęternę, quam promisit is qui non mentitur Deus, antè tempora ęterna, patefecit autem suis temporibus:

3 Verbum suum per prędicationē, quę commissa est mihi secundùm delegationem saluatoris nostri

ſtri Dei: Tito germano filio iuxta communem fidem.

4 Gratia, miſericordia, pax, a Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto Saluatore noſtro.

Ine diſcrimine hæc ponit, aliquandò Seruum Chriſti, Apoſtolum autem Dei, nũc verò è diuerſo.

Iuxta fidem.] *Propter fidem, hoc eſt, propterea quòd concrediti ſunt mihi electi Dei, vt eos docerem, factus ſum Apoſtolus. Aut ſic: Apoſtolus ſum, vt per me electi credant, & Chriſtum pietatis veritatem cognoſcant. Vel ſic: Quòd factus ſim Apoſtolus, & crediti ſunt mihi electi, non vt cunq; mihi contigit, ſed quoniàm cognoui pietatis veritatem. Quæ autem eſt hæc veritas? Chriſtus. Rectè autem dixit, veritatis quæ ſecundùm pietatem eſt, quaſi ſit alia veritas, non ſecundùm pietatem, velutì eſt artem ſcire aliquam.*

In

In spe vitæ æternę.] *Satis quidem illud in se erat, & vice mille retributionũ, veritatem cognoscere : sed nunc munificus Deus, pro hoc ipso retributiones etiam donat, vitàm namq; sempiternam. Ob cognitionem enim veritatis, inquit, quæ fit ob spem vitæ æternæ. Aut ait æternæ, ad Iudaïca faciens collationem: nam vitæ illius æternæ promissionem habuerunt.*

Qui non mentitur Deus.] *Si non mentitur, perficiet omnia ea, quæ est pollicitus.*

Antè tempora ęterna.] *Neq; ex sero consilio, neq; ex postera aliqua cogitatione, inquit, hoc decreuit Deus : sed ab initio. Summa profectò dignitas est, quòd nos ab initio diligamur.*

Patefecit verò.] *Quid patefecit in temporibus propriis & accommodatis? Quam antè tempora æterna promisit vitam. Verbum enim eius, hoc est Christus, est & vita & vitæ dator. Propterea, cùm dicit, quòd vitam promisit, non etiam addidit, quòd patefecit temporibus suis, quã promisit vitam, sed verbum suũ per prædicationẽ : quasi verbũ eius, hoc est Christus,*

stus, sit vitæ illius & author atq; dator.

In prędicatione.] *Id est apertè, & cum omni loquendi libertate.*

Quę commissa est mihi.] *Quæ prædicatio commissa est mihi. Ex hoc verò, quòd dicit, Commissa est mihi, secundùm præscriptionem Dei, significat ex necessitate oportêre, absq; omni excusatione, volentem nolentem prædicâre. Hoc & tu facias, inquit, ô Tite.*

Tito germano filio.] *Potuit enim filius esse, quià baptizabatur ab eo, nõ germanus tamen, quià esset peccator: Quòd sis, inquit, filius meus, caussa est communis fides. Laudat verò Titum, quasi ipse nihil ei præstiterit, quantum ad fidem pertineret. Alitèr: Titus filius erat Pauli, in hoc, quòd fide instituebatur ab eo, secundùm verò communem fidem, nempè ex baptismate frater erat Pauli: vnus enim & idem Pater Christus, & eadem mater Lauacrum fuit.*

Gratia, misericordia.] *Meritò quidèm gratiam & misericordiam optat Tito, doctori existenti: nisi enim, inquit, istis gubernaculis, videlicèt gratia, misericordia,*

cordia, & pace, populum moderaberis, Ecclesiæ nauis facilè euertetur.

5 Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt quę desunt corrigeres, & cōstitueres per ciuitates presbyteros, sicut ego tibi pręscripsi:
6 Si quis sit criminationis expers, vnius vxoris vir, liberos habens fideles, non in accusatione luxurię, aut inobedientes.

Vides eos vniuersum orbem terrarum, velutì familiam quandam inter se distribuentes, & vnumquemq; aliquid sedulò nauantem. Vides etiam athletam Christi, vbì res erat periculi & discriminis plena, ipse præstò est: vbì honorem aliquem res ipsa esset allatura, discipulos mittit: postquàm enim hunc Episcopum creasset, ad alios Episcopos oppidatìm constituendum reliquit. Et vide, non erubescit discipulo scribere, Vt corrigeres (inquit) ea quæ sunt a me intermissa: vnius enim rei solùm, nempè vniuersorum salutis cura illum tangebat.

Per

Per ciuitates presbyteros.] *Neq; enim volebat integram insulam Cretam, quæ latè patebat, vni Episcopo demandâri: sed singulas ciuitates singulos proprioſq; habêre pastores: præsbyteros verò Episcopos vocat.*

Si quis sit criminationis expers.] *Accusationis (inquit) puram vitã traducat, nec vllus vitam eius carpendi ansam capiat.*

Vnius vxoris vir.] *Ipsam (inquit) legitimam solam cognoscat. Os verò hæreticis illis, qui nuptias abhorrebant, præcludit, quasi fieri possit, vt vnà cum nuptijs quis Episcopatus curam gerat, secundas verò adeuntem nuptias, velutì reprehẽsionis notæ obnoxium, ab eo munere ꝓhibet.*

Liberos habens fideles.] *Nam qui mores suorum liberorum non rectè componat, aliorum vitam quomodò dirigeret?*

7 Oportet Episcopum inculpatum esse, velutì Dei dispẽsatorem, non prę fractum, non iracundum, non vino deditum, non percussorem, non turpis lucri cupidum.

8 Sed

8 Sed hospitalem, bonarum rerum amantem, moderatum, iustum, sanctum, temperantem.

9 Adhęrescentem ei qui est secundùm doctrinam, fideli sermoni, vt possit & in doctrina sana exhortari, & contradicentes refutare.

Inculpatum esse.] *Velutì generale quoddam effert: esse enim inculpatum omnia complectitur, quæ essent dicenda: hoc est, cui nullum accusationis vestigium possit impingi.*

Velutì Dei dispensatorem.] *Postquàm, inquit, magna contigit dignitas, magna opus est cura atq; diligentia.*

Non prefractum.] *Qui se ipsum enim non moderatur, alios quomodò est moderaturus?* Non vino deditum.] *Vinosum, contumelioſum.* Percussorem.] *Percutientem fratrum conscientiam.*

Non turpis lucri cupidum.] *Velutì pauperem: quasi quodcunq; lucrum, quàuis iustum esse videatur, Episcopo turpe sit atq; indecorum.*

Sanctum.] *Affectionis puram.*

Tem-

Temperantem.] *Non circà cibaria solùm, sed vniuersa affectionum genera.*

Fideli sermoni.] *Vel vero, vel per fidem suppeditato, & non per vllum ratiocinandi artificium comparato. Propterea dixit, Qui est secundùm doctrinam, apertè significans, quòd citrà externæ sapientiæ præsidium docere possit: non enim demonstratione opus est, inquit, sed docendi atqué adiuuandi studio.*

Vt possit etiam & exhortari.] *Hoc vsu veniet, cùm suipsius moderatione, tùm scripturarũ cognitione. Sana verò doctrina est, quæ & vera dogmata & rectam vitam doceat.*

Et contradicentes refutare.] *Quisquis enim non fuerit & cum inimicis concertandi, & omnem sensum Christi imperio subijciendi peritus, nihil operæ pretij penitùs est facturus.*

10 Sunt enim multi intractabiles, & vaniloqui, & mentium seductores, potissimùm hij qui sunt ex Circumcisione.

11 Quibus os oportet occludere, qui integras familias subuertunt, docentes quę non oportet, turpis lucri gratia.

Radicem omnium expressit, ex qua cætera enascuntur: intractabilis enim cedere non vult, sed aliis præesse atquè imperâre cupit. Deindè, oportet illum qui ad Ecclesiasticum magistratum fuerit euectus, docêre: & qui docet, priusquàm didicit, verisimilitèr quidèm (quoniàm hoc genus hominum plurimùm sit intractabile,) vaniloquus, mentisquè seductor deprehenditur.

Potissimùm hij qui sunt ex circũcisione.] *Illis enim Christus imperandi cupiditatem exprobrat, hij post fidem acceptam, morbositatem suam non exuerũt.*

Quibus os oportet occludere.] *Si enim Episcopus, cui non tàm cæteris præsidendi, quàm præeundi cura est imposita, ignoret quomodò vaniloquos, seductoresquè conuincat, & ad silentium vsquè adigat: omnis perditorum damni iacturæquè author est habendus. Appositè quidèm illud*

illud,occludere os,quasi ne permittere quidem loqui,insigni quadam eos redarguendi vi & præstantia, vt hij qui etiam audierint fructum capiant

Docentes quę non oportet.] *Nihil enim est quod non facile, sic animis affectos, in omnem improbitatem pelliciat.*

12 Dixit quidam ex his proprius ipsorum Propheta : Cretenses semper mendaces, malę bestię,uentres pigri.

13 Testimoniũ hoc est verũ. Quamobrèm, redargue eos asperè, vt sani sint in fide:

14 Non adhibentes animum Iudaïcis fabulis, & mandatis hominum auersantium veritatem.

Quæstio est, Cùr nam ex Græcis adduxit testimonium, & huic etiam adstipulatus est testimonio, quod non rectè sese haberet? Quod nam testimonium, Cretenses sepulchrum extruxerunt Ioui: & ait quidam Poeta.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί·
οὐ γὰρ τάφον σὸν, ἄναξ, ὤκισαν Κρῆτες ἐτεκτήναντο, οὐ γὰρ θάνες, ἔστι γὰρ ἀεί.

Tibiq; sepulchrum
Cretes struxerunt: ast tu non mortis acerbæ
Iura subis, Rex summe, tua est sed vita perennis.)

Huius oraculi particula quædã est, & illud, Cretenses semper mendaces, *& quæ sequũtur. Testatus est Paulus hanc veram esse opinionem: itaqué, si verum sit testimonium, & Iupiter est immortalis. Verùm enimuerò, dicimus quòd hùc spectans solùm, testimonium verum esse affirmarit, quatenùs mendaces eos appellabat. Vndè ait testimonium hoc est verum, nempè illud quod eos mendacij arguit & conuincit: & hoc ità se habêre quiuis diceret. Sed quamobrem ex Græcis testimonium adduxit? Propterea dicimus, quòd hoc summo eos perfundit rubore, cùm ex domesticis propriisqué Poëtis, expressum contumeliæ suæ testimoniũ adferat. Quandò enim nostris non obtemperant, suos in medium profert, qui eos insectentur. Hoc fecit & Deus, Magis Astronomiæ studio vacantibus, per stellam Christum ostendens, propriis & velutì cognatis rationibus eos persuadens.*

Rur-

Rursumqué, vates per boues Arcam trahentes. Et Saul per Vàtidicam illam, postquàm ei fidē adiunxerat. In hijs omnibus ad nostrum captum atqué sensum, quasi gradibus, descenditur. Et quamuis Christus, posteaquàm Apostoli Dæmones prohibuerant de se aliquid loqui atqué prædicâre, huic tamen nihil aduersatur, quandoquidem miracula id temporis edita, satìs firmamenti atqué roboris, ad persuadendum haberent. Nequé erat necessum, homines his tantùm rebus persuadêri, quibus fidem adhibebant.

Quamobrem, redargue eos.] *Postquàm enim, inquit, quidam ex his satìs temeritatis atqué impudentiæ pleni sunt, asperiùs eos redarguito: etenim hi, nulla lenitate aut moderatione ad obtemperandum possunt adduci.*

Vt sani sint in fide.] *Esse sanum in fide, est, quandò nihil externum aut peregrinum, nec Iudaïcum, nec Græcum fidei quis adiungat.*

Iudaïcis fabulis.] *Duplici nomine fabulæ sunt res Iudaïcæ, vel quòd earum præterijt tempus, vel quòd eo tempore, quo*

maxime floruerunt atque dominatæ sunt, figura veritatis, non ipsa veritas erant.

Et mandatis hominum.] *Ciborum observationes innuit, quod satis ex his, quæ sequuntur, manifestum esse possit.*

15 Omnia quidèm munda mundis, inquinatis verò & infidelibus nihil mundum; sed inquinata est ipsorum & mens & conscientia.

16 Deum profitentur scîre, operibus verò negant, cùm sint abominabiles & inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi. Tu verò loquere ea quæ decent sanam doctrinam.

Cùr ergò lex Iudæis data impurorum observationem est complexa? Et dicimus, quòd non propterea hanc Deus tulit legem, quià aliqua essent impura: sed vt hoc modo multiplices illas delicias, & promiscuam intemperantiam Iudæis amputaret. Puritas enim rerum & impuritas, potissimùm ex sumentium cogitationibus pendet, quoniàm natura sua omnia pura

sunt

sunt hijs, qui non scrupulosè nimìs res perpendunt : illiusmodi enim hominibus impura sunt, quæ omninò non sunt impura. Impurum solùm est peccatum.

Inquinatis.] *Namqué pollutæ menti omnia sunt impura, quemadmodùm ægrotãti omnia sunt insuauia, propter morbum.*

Sed inquinata est ipsorum mens.] *Cibus, inquit, nullus impurus, mens verò ipsorum & conscientia est impura: nam inutiles cibi redduntur propria suspicione.*

Deum profitentur scîre.] *Hoc reuerà est impurum : sinè enim operibus mortua est fides.*

Tu verò loquere quæ decent.] *Et quamuis hij tales fuerint, tu tamen, inquit, pigritia nè torpescas, sed (quod tua interfit) facias atq; doceas, etiamsi nullus sit obtemperaturus.*

Secundum caput ad Titum.

1 SENES vt sint sobrij, graues, modesti, sani fide, charitate, patientia.

2 Anus similitèr ipso habitu sanctitatem præseferant, non calumniatrices, nec multo vino seruientes, vt honesta doceant.

3 Quo possint ad omnem modestiam formare adolescentulas, vt maritos ament, liberos diligant.

4 Vt sint modestę, purę, domus custodes, probæ, viris suis subditæ, nè verbum Dei malè audiat.

Senes vt sint sobrij.] *Plurimum enim ignauia & torpedo, velutì propria illius ætatis vitia, senectutem comitantur, vndè illud corrigit.*

Vt sint.] *Oportet esse, id quod generatìm refertur ad ea, quæ sequuntur.*

Modesti.] *Prudentia præditi: est enim*

nim σωφροσυνη, *velutì* σαοφροσυνη, *hoc est, mentis ſanitas quædam atq; ſalus: nunquàm enim ab hijs, qui laſciuia & obſcænitate conſenuerint, prudentiam vllus expectaret, quod ipſum communi quodam omnium conſenſu comprobatur.* Plato in Char. 244. 16.

Patientia.] *Apte patientia: excandeſcentia enim ſenectutis quædam comes eſt atq; ſocia.*

Anus ſimilitèr.] *Miniſtras dicit.*

Habitu.] *Amictu.* Sanctitatem præſeferant.] *Ab ipſo, inquit, amictu honeſtatem oſtendant, vt ſanctis conuenit functionibus.*

Non calumniatrices.] *Ex vino calumnia naſcitur: maximèq; ſenectuti imbecillæ vis vini aduerſatur.*

Vt honeſta doceant.] *Quomodò alibì prohibet mulieres docêre? Reſpondemus, quòd hoc in loco, admonitorios, qui domi fiunt, intelligit ſermones: illic verò, vt non publicè præſideant & concionentur. Et quòd ſolum domi docendi facultas illis concedatur, quod poſteà inducitur, apertè declarat.* Ad omnem modeſtiam (*inquit*) formare adoleſcentulas. *Neq;, de*

filiabus hoc solùm intelligit, sed generaliter vniuersam iuuentutẽ senectuti subdit.

Vt maritos ament.] *Hoc certe omnium domesticorum bonorum caput est & fons, hinc & reliqua omnia funduntur.*

Vt liberos diligant.] *Quæ radicem amat, amabit & ramos.* Domus custodes.] *Domus custodes appellat eas, quæ sedulam rei familiaris curam & prouisionẽ gerunt: huiusmodi enim, neq; in victus cõparatione, neq; in forensi obambulatione intempestiue versantur.*

Nè verbum Dei malè audiat.] *Etenim, si vir infidelis, vxorem duxerit fidelem, immorigeram tamen atq; improbã, ipsam absq; dubio fidem conuitio probroq; insectabitur, qua tales mulieres instructæ imbutæq; fuerint. Vides quomodò imprimis prædicationis curã habens ista scribit.*

5 Iuuenes similitèr exhortare, vt modesti sint,

6 In omnibus teipsum prębens exẽplum bonorum operum, in doctrina integritatem, grauitatem, chastitatem.

7 Sermonem sanum, irreprehensibilem,

lem,vt aduersarius pudore afficiatur,cùm nihil habeat, quod de nobis dicat mali.

Vides quàm aptè & congruentèr has res disponit? Mulieribus mulieres, & eas quidem ætate senectas,maturas magistras constituit: viris ipsum Titum.

Vt modesti sint.] *Nihil enim adolescentiæ tàm est aduersarium,quàm amor corporalis.* Teipsum prębens exemplum.] *Sit,inquit,vita tua cæteris omnibus communis, velutì quædam schola atq; documentum.*

In doctrina.) *Illud præbens, generatìm ponitur: in doctrina, inquit, præbens integritatem, hoc est communionem quandam propensam, atqué summissionem.* Grauitatem.] *Non instàr principis, aut quasi cum populo vectigalires discernens,sed comitèr atq; blandè,velutì liberis.* Sermonem sanum.] *Nempè, qui ad dogmata spectat: hijs enim præsidijs cum doctrina coniunctis, vndiq; rubore suffundetur aduersarius,siue Diabolus, siue Hæreticus,cùm nullam contrà nos*

ansam

ausam possit accipere.

8 Seruos itidem Dominis suis parêre, in omnibus illis placentes, non contradicentes,

9 Non defraudantes, sed fidem omnem ostẽdentes bonam, vt doctrinam Seruatoris nostri Dei ornent in omnibus.

Non oportet igitùr specie atq; nomine pietatis seruos dominis suis sese subijcere. Non contradicentes.] *Serui vt dicto audientes, fidi, integri, abstinentesq; sint, adhortatur: hoc enim seruos imprimis decet.*

Vt doctrinam seruatoris.) *Conuenientèr alio loco dixit, Tanquàm Deo seruientes, & non hominibus: nam, quamuis Domino, inquit, summa alacritate seruieris, ipsa tamen id faciendi caussa, à timore Dei, velutì ab initio atq; fonte quodam, proficiscitur. Si enim serui improbi fuerint, Christianam religionem contumelijs & ignominia afficiunt. Nomen, inquit, Dei per vos malè audit. Quicunq; ergò ea, quæ dicta sunt, nauant diligẽtèr & perficiunt*

ficiunt, prædicationem exornant, fideliter inseruientes.

10 Apparuit enim gratia Dei, quæ salutifera est, omnibus hominibus.

11 Erudiēs nos, vt abnegantes impietatem, & mundanas concupiscentias, sobriè, & iustè, & piè viuamus in præsenti seculo:

12 Expectantes beatam illam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi,

13 Qui dedit seipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

Posteà rationem, quamobrèm serui aduersus dominos huiusmodi esse debeant, in medium profert.

Apparuit *(inquit)* gratia Dei erudiens nos.] *Cùm ergò Deum præceptorem nacti sumus, quomodò non in omnia illius doctrina digna nauitèr incumbere debemus?*

Vt abnegantes.] *Etenim apparitio Serua-*

Seruatoris nostri Dei, hoc est, eius in carne accessus, non solùm à prioribus nos liberauit peccatis, sed in posterum etiam securiores reddidit. Vt abnegantes, *inquit.*] *Variam multiplicemque significat abstinentiam.*

Impietatem, & mundanas concupiscentias.] *Impietatem quidem intelligit deprauatorum dogmatum, mundanas verò concupiscentias, quæcunq; animales, quæcunq; carnales, quæcunq; deniq; cœlũ nobiscum non pertingunt.*

Illud verò Sobriè, *non solùm rerum corporalium, earundemq; amoris abstinentiam vult, sed singularum etiam affectionum.* In præsenti sæculo.] *Præsens enim secundum certamen habet, futurum verò retributionem.*

Expectantes beatam.] *Vides etiam & præmia: nihil enim reuerà beatius est illa apparitione.* Glorię.] *Altera enim apparitio cũ gloria erit, cùm prima fuerat humilis & abiecta.* Magni Dei.] *Vbi nunc sunt illi impiorum dogmatum inuentores, qui asserunt, Christum non esse Deum? Vel quòd sit minor patre? Hîc enim*

apertè

apertè Deum etiam magnum Christum asseuêrat. Illud enim, Magnus, non ad paruum quempiam Deum potest referri. Apagè ergò sis ô impie: tàm absolutè enim Christus magnus est, vt eo non maius quiddã possit vllus vel cogitatione cõprehendere. Populum peculiarem.] *Nempè eximium, abundè impensèq; charum habitum, nihil habens commune cum reliquis populis.*

Sectatorem bonorum operum.] *Vides quòd nostra etiam industria opus sit, hoc est, vt cum summa alacritate, animiq; inductione, ad omnem virtutem atq; probitatem contendamus. Etenim, liberâre nos à præteritis peccatis, eius solius erat benignitatis, qua genus humanum vnicè est complexus: sed nauâre posteà atq; perficere aliquid, virtutis & eius & nostri est.*

Tertium caput ad Titum.

1 HAEC loquere & hortare, & argue, cum omni imperio, nullus te contemnat:

2 Ad-

2 Admone illos, vt principatibus ac poteſtatibus ſubditi ſint, vt magiſtratibus pareant, vt ad omne opus bonum ſint parati,

3 Vt neminem maledictis laceſſant, vt non ſint pugnaces, ſed modeſti, omnem oſtendentes manſuetudinem erga omnes homines.

Cum omni imperio.] *Hoc eſt, cum authoritate: cùm enim horum mores duri admodùm ſint & agreſtes, propterea, inquit, aſperiùs & ipſi ſunt arguendi.* Nullus te contemnat.] *Hoc eſt, deſpiciat. Vides quomodò vult etiam poteſtate Epiſcopum eſſe præditum.*

Vt ad omne opus bonum ſint parati.] *Videlicèt omni probitatis ornatu inſtructi.* Vt neminem maledictis laceſſant.] *Etiamſi praui quid egerit, atq; aliqua in re aberrauerit: os enim noſtrũ ab omni ſemper conuitio purũ vacuumq; eſſe debet. Tu enim, inquit, cùr fratrem iudicas? Cùr arripis tibi iudicium Dei? Blaſphemiam autem aduerſus fratrem conùitium vocat.*

Man-

Manſuetudinem erga omnes.] *Cùm Græcos tùm Iudæos, amicos & inimicos, iniuſtos atq; pernitioſos.*

4 Eramus enim aliquandò & nos ſtulti, inobedientes, errantes, ſeruientes deſiderijs ac voluptatibus varijs, in malitię vitioſitate, & inuidia vitam traducentes, odioſi, odio mutuo nos proſequentes.

Nemini, inquit, exprobres: eramus enim & nos mali, non quod nunc ſumus. Cùm igitùr tu huiuſmodi eras, & gratia atq; beneficio Chriſti liberatus ſis, non propria vlla virtute aut ſedulo officio, quomodò audes alteri aliquid exprobrâre & obijcere? Quandò verò eramus huiuſmodi? Cùm eramus (inquit) in errore, cum idôlis ſumus proſtrati. Manifeſtum enim eſt, quod Græci impiè viuunt: namque apud illos ſunt adulteria, fornicationes, cædes, ludi nocturni turpes & nephandi, & hæc veluti in honorem Deorum faciunt. Odioſi.] *Poſtquàm enim aliquis ad extremam peruenerit improbitatem, omnes*

odio proſequitur, meritò igitur & omnibus odio habetur.

5 Poſtquam verò bonitas & benignitas apparuerit Seruatoris noſtri Dei,
6 Non ex operibus quæ ſunt in iuſticia, quę fecimus nos: ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos fecit nos, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti,
7 Quem effudit in nos abundè, per Ieſum Chriſtum Seruatorem noſtrum:
8 Vt iuſtificati gratia illius, hęredes eſſemus iuxta ſpem vitę eternę.

Et benignitas apparuerit.] *Hoc erat p eius incarnationem.* Non ex operibus quę ſunt in iuſticia.] *Nõ quòd nos, inquit, ſic piè vixerimus, quò ipſe ad humanam naturam ſuſcipiendam adduceretur: ſed quòd ipſe noſtri, cùm eſſemus indigni, miſericordiam capere voluerat.*

Quę fecimus nos.] *Non enim fecimus.*

mus. Quem effudit in nos.] *Qualem ſpiritum? Quem effudit in nos (inquit) abundè, per Ieſum Chriſtum. Multa, inquit, egebamus gratia ſpirituali, vt non ſolùm iuſtificaremur à peccatis præteritis, ſed vt hæredes redderemur vitæ: propterea enim effudit.* Illius gratia.] *Chriſti, vel ſpiritus ſancti.*

Hęredes eſſemus.] *Hæredes, inquit, eſſemus vitæ æternæ, quæ nunc apud nos in ſpe ſita atq; poſita eſt. Vel in hunc modum: Vt hæredes eſſemus vitæ æternæ, quemadmodùm & ſperamus.*

9 Indubitatus ſermo, & de hijs volo te confirmare, vt ſolliciti ſint bonis operibus præeſſe, qui crediderunt Deo: hęc enim ſunt honeſta & vtilia hominibus.

10 Stultas verò quæſtiones & genealogias, ac contentiones atq; pugnas legales omitte, ſunt enim inutiles & vanæ.

Quoniàm de rebus futuris loquutus eſt, multiſq; incertis & obſcuris, addit, indubi-

tatus sermo, hoc est, verus, & omninò usu venturus. Et de his volo te.] *Et de rebus superiùs memoratis, & hijs. Quibus? Ut solliciti sint, inquit, bonis operibus præesse, nempè ut prospiciant viduis, parentibus orbatis, defessis, egentibus non facultatibus solùm, sed omni opera atq; studio, Hæc verò sunt honesta, hoc est, bonis operibus præesse.* Stultas verò quæstiones & genealogias.] *Vel de Græcis intelligit, qui Deorum suorum genera recensere solent, Hic (inquiunt) genuit illum: Vel de Iudæis, qui cùm nihil rectè faciunt, ad genus suum confugiunt, & hinc insolentèr gloriantur: Abraham, (inquiunt) & Isaac, & Iacob progenitores nostri.* Stultas verò.] *Et quasi inutiles. Quid enim prodest peccatori, habêre patrẽ Abraham? Hoc certè ea in re inest incommodi, quòd eorum exemplo excitati, ipsi improbi & inepti euaserunt.* Omitte.] *videlicèt deuita. Quomodò igitùr, alio in loco, iubet illùm os contradicentibus occludere, si omninò oportet eos declinâre ac deuitâre? Et dicimus, quòd hij, qui in perniciem & corruptelam aliorũ aliquid docent, ad silentiũ sunt adi-*

gendi:

gendi: cùm verò inter se certant, & non de dogmatum controuersijs disceptant, omittendi atq; prætermittendi sunt.

Sunt enim inutiles.] *Nihil, inquit, tandem apportabunt commodi.*

11 Hæreticum virum pòst vnam atq; alteram monitionem deuita,
12 Sciens quòd euersus sit huiusmodi, & peccat per se condemnatus.
13 Quandò misero ad te Artemam, vel Tychicum, festina venîre ad me Nicopolin, nam illic decreui hybernare.
14 Zenam Legisperitum & Apollo studioſè deducito, vt nihil illis desit.

Atquí alio loco dicit, nè aliquandò det illis Deus pœnitentiam, quomodo hîc iubet fugere illos & respuere? Eo loco de illis, qui spem aliquã emendationis præseferebant, intelligit: hîc verò de ijs, qui abiecto & desperato omni remedio laborant.

Per se condemnatus.] *Neq; enim potest ad sese excusandũ prætexere, quòd,*

Nullus mihi prædixit, Nullus præmonuit. Illud verò Per se condemnatus.] *Vel qui nullam probabilem excusationem sui possit adferre, vel qui ipse à seipso & propria conscientia sit condemnatus.*

Festina venîre ad me.] *Cùr ergò, cùm illum Cretæ insulæ præfecerat, rursum ad se vocat? Vt pleniùs & abundantiùs eum instituat, & quæ essent facienda, consulat.*

Nicopolin.] *Thraciæ ciuitas est Nicopolis, Macedoniæ finitima & propinqua. Verisimile itaq; est, quòd eo tempore, quo, in Macedonia & Achaia moratus est, hanc scripsit epistolam.* Zenam legisperitum.] *Iudaï carum legum gnarum & prudentẽ: non dùm hy erant ad munera ecclesiæ fungenda admissi, Apollo autem eximius vir erat, eloquens & peritus in scripturis.* Vt nihil illis desit.] *In omni abundantia & affluentia constituas eos, victus fortasse & vestitus.*

15 Discant verò & nostri bonis operibus præesse ad necessarios vsus, vt non sint infrugiferi.

16 Sa-

16 Salutant te, qui mecum ſunt, omnes: ſaluta diligentes nos in fide. Gratia cum omnib. vobis. Amen.

Vel de doctrina loquitur, vel de facultatum impartitione, quaſi diceret: Hij egentibus benignè & humanitèr proſpiciant, eoſq́ amplectantur, atq́ foueant, ſiuè doctrina, ſiuè rebus neceſſarijs indigeant. Vt non ſint infrugiferi.] *Iſta enim plus vtilitatis impartientibus, quàm accipientibus ſunt allatura.*

Saluta diligentes nos.] *Vel amicos intelligit, vel omninò fideles.* In fide.] *quaſi proptèr fidem.*

FINIS, Deo iuuante, epiſtolæ ad Titum.

Ad Titum Cretenſis Eccleſię Epiſcopum primum deſignatum.

Scripta eſt ab vrbe Nicopoli Macedoniæ.

Argumentum epistolæ ad Philemonem.

HANC ab vrbe Roma mittit epistolã. Occasio scribendę epistolę huiusmodi fuit. Onesimꝰ seruus Philemonis profugiebat, & profectus ad Apostolum, ab eo detinebatur, atq; in seruiendo illi vtilis frugiq; fuit: itaq;, in illius gratiam scribens hanc epistolam ad Philemonem, commendat ei Onesimum, vt ingenuè illi prospiceret, & non amplius seruum eum duceret, sed veluti fratrẽ haberet. Prẽterea, hortatur eum, vt sibi hospitium prẽparet, vt cùm illuc ipse veniret Paulus, esset vbi moraretur: & sic absoluit epistolam. Porrò, aduertendũ est, quòd Onesimus iste martyrij lauream Romæ meruerit, sub Tertyllo Præside martyrii iudiciũ membrorum fractione perpessus.

Theo-

Theodoreti Argumentum in eandem.

PHILEMON pręclarus eximiusq; vir fuit, Phryx quidèm genere, moribus autem fidelis, ſanctorum indigentijs abundanter impartiens: huius ſeruus Oneſimus, ab eo multa clam ſurripiens, in fugam ſe coniecit: qui cùm ad Paulum Romam veniſſet, detentus eſt ab eo, atqué baptizatus: qui cùm Paulus in vinculis detineretur, vir eximius, ſummaqué admiratione dignus euaſit: hunc remittit Paulus ad Philemonem, hanc commendatitiam ei ſcribens Epiſtolam. Sunt qui dicunt hanc cęteris Epiſtolis enumerandā non eſſe, velutì de re vili adeoq; parui momenti conſcriptam. Verùm, aduerte quot quantaqué ab ea nobis emanant commoda. Primùm docet, etiam in re quantumuìs parua, humiliqué, ſedulam nobis operam eſſe nauā-dam. Deindè, ſi ſeruus tam improbus

ne fariuſqué ad bonam ſeſe frugi receperit, de his, qui liberalitèr ſunt inſtituti, nõ eſſe deſperandum. Poſt, quòd non oportet, ſpecie & pretextu pietatis, ſeruos dominis inuitis ſubducere. Deniqué, quòd non eſt, vt nos ſeruorum pudeamus, qui culpa aliqua teneantur, cùm Paulus filium ſuum appellet Oneſimum. Quomodò igitur tantis commodis, tam cumulatè refertam Epiſtolam, cęteris annumerare non debeamus?

Capita earum rerum, quę in hac Epiſtola continentur.

α *Laus Philemonis, & pro eo gratiarum actio.*

β *Commendatio Oneſimi ſerui fugitiui, & exhortatio quædam deprecatoria pro eo, iam per fidem ſeruato.*

Epiſtola ad Philemonem.

Paulus

1 PAulus vinctus Iesu Christi & Timotheus frater, Philemoni dilecto, & collegę nostro,

2 Et Apphiæ dilectę: & Archippo commilitoni nostro: & quę domi tuę est Congregationi: gratia vobis & pax a Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

STatim ab ipso exordio docet dominum, nè illum serui sui pudeat: omnia enim, & ipsa etiam vincula, proptèr Christum honesta sunt: & quòd æquum sit Paulo, in vincula proptèr Christum coniecto, huiusmodi concedi beneficium.

Et Timotheus frater.] *Assumit deprecationis suæ communem socium atq; participem Timotheum.*

Philemoni dilecto.] *Si dilectus, hoc dabit beneficium: si collega, seruum concedet, vt prædicationi administret: officium enim atqué munus domini sui Phile-*

Philemonis, Onesimus præstabit & explebit.

Et Apphiæ.] *Fortasse Apphia isthæc vxor eius erat, & Archippus amicus. Vide & animum eius summissimum admodùm atq; humilem, quòd & hos adhortaretur, vt deprecationem suam adiuuarent.*

Commilitoni nostro.] *Si cõmilito & hoc ipse, diligentèr contendet. Iste erat de quo scripsit ad Colossenses: Dicite Archippo, vide ministerium quod suscepisti.*

Colos. 4.

Et quę domi tuę est congregationi.] *Vniuersam familiam atq; seruos adhortatur.*

3 Gratia sit vobis & pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Gratia vobis.] *Quomodò erit gratia Dei inter vos? Si & vos debitoribus vestris gratiam aliquam tribuatis. Quomodò & pax? Si cum seruo isto Onesimo in gratiam redeatis.*

Gra-

4 Gratias ago Deo meo, ſemper mentionem tui faciens in precibus meis.

5 Cùm audiam tuam charitatem, ac fidem, quam habes erga Dominum Ieſum, & erga omnes ſanctos:

6 Vt communicatio fidei tuę efficax fiat in agnitione omnis boni, quod eſt in vobis erga Chriſtum Ieſum.

Si quandò tui, inquit, mentionem facio, (facio enim ſemper,) gratias ago Deo pro te. Quamobrem? Cùm audiam (inquit) tuam charitatem. Non animaduertis ipſum ab ipſo ſtatim exordio hanc gratiam expoſtulantem?

Cùm audiam tuam charitatem.] *Si verò non eſſet ſumma, neutiquàm certè à Phrygia Romam uſq; permanaret.*

Vt communicatio fidei tuæ.] *Coniungit illum ſibi, quaſi diceret: Communis noſtra fides eſt, communiaq; omnia facit. Cuius rei gratia, gratias Deo agis? Vt, inquit, communicatio fidei tuæ efficax fiat. Quomodò erit efficax? Si in ſingula virtutum genera nauiter incubueris: interpretatus*

pretatus est enim seipsum Diuus Paulus. Quomodo erit efficax? Si tu agnoscas, inquit, præstâre omne bonum.

Quod est in vobis.] *Quod nunc in vobis sit ergà Christum Iesum. Qui verò cuiuis benefacit, benefacit Christo, potissimùm verò is qui sanctis benefacit.*

7 Gaudium enim habemus multum, & consolationem, in dilectione tua, quòd viscera sanctorum refocillata sunt per te, frater.

8 Quapropter, quamuis multam in Christo fiduciam habeam iniungendi tibi id, quod officij tui erat:

9 Tamen propter charitatem potiùs deprecor, cùm talis sim nempè Paulus senex, nunc verò & vinctus Iesu Christi.

Non solùm (inquit) lætamur, sed tàm cumulatam immensamq; indè cepimus voluptatem, vt mihi etiam in vincula cõiecto, abundantem admodùm consolationem infundat.

Quod viscera sanctorũ.] *Vide, quasi vel-*

si vellet dicere : Si in alios beneficia confers, multò magis in me conferre debes: sic tamen non dicet, sed alio modo, & id quidèm multò commodiùs : persæpexit enim Paulus, recordationem eorum beneficiorum, quæ apud alios essent posita atq; collata, plurimum habêre momenti ad eos persuadendos, a quibus aliquid esset contendendum.

Refocillata sunt per te.] *Acquiescunt enim, inquit, in tua charitate.*

Quapropter, quamuis multam.] *Quoniam huiusmodi te aduersùs sanctos præstitisti, vt per te vnicè recreati atqué sustentati sint, confidentiùs audeo hoc tibi imperâre, quamuis haberem etiam liberam a Christo mihi datam potestatem, rem adeò decoram honestamq; tibi iniungendi : & hoc quidèm est quod dixit. Quod officij tui erat iniungendi, verò dixit, Non quòd imperium vllum in te sit meum, sed per firmum illud mutuæ charitatis vinculum, quo nos inter nos arctissimè coniuncti & astricti sumus.* Iniungẽdi *quidem, non* Iniungo. *Etiamsi videar id iniungere tibi per meum in te amorem,*

iniungo

iniungo tamen minimè : sed preces ego potiùs adhibendas esse iudico. Sic inquit : Hac postulatione nihil prius aut antiquius apud me quicquam esse possit.

Cùm talis sim, nempè Paulus senex.] *Deprecor verò, quamuis is sim, qui ea authoritate valêre debeam, vt etiam te facilè persuadeã, nempè Paulus. Satis & hoc solum fuisset ad persuadẽdum, Senex vinctus pro Christo. Vides quàm varia & copiosa ad persuadendum momenta ponuntur.*

10 Deprecor te pro filio meo, quem genui in vinculis meis, Onesimo,
11 Quondam tibi inutili, nunc verò & tibi & mihi perutili, quem remisi.
12 Tu verò eum, hoc est viscera mea, suscipe:
13 Quem ego cupiebam apud me retinêre, vt pro te ministraret mihi in vinculis Euangelij.
14 Sed absqué tua sententia nihil volui facere, nè velut ex necessitate bonum tuum esset, sed spontaneũ.

Præmollit

Præmollit præparat q3 Philemonem cõmendando ſeruum, filium vocans, quoniã illum (inquit) baptizaui. Hoc eſt quod dixit, Genui eum cùm in vincula eſſem coniectus: poſtquàm enim hijs rebus iram eius paululum fregiſſet at q3 mitigaſſet, tùm nomen eius in medium profert: Oneſimum, inquit, olim tibi inutilem. Nouit enim quòd errati confeſſione, domini ira reſtincta at q3 ſedata eſſet.

Nunc verò, & tibi, & mihi perutilem.] *Si Paulo, qui tàm accuratam quauis in re diligentiam requirebat, perutilis erat, nedùm Philemoni.* Quem remiſi.] *In tradendo enim illum domino ſuo, facilè iram eius reſtinxit leniuit q3.*

Hoc eſt viſcera mea.] *Quid dico illum ſuſcipias? Si hunc enim ſuſceperis, mea viſcera ſuſcipies: tanta enim eum amplector beneuolentia at q3 ſtudio, vt viſcerum etiam nomine dignum eum eſſe cẽſeam.* Suſcipe.] *Cùm omni beneuolentia ſuſcipe.*

Vt pro te miniſtraret mihi.] *Vides, quòd ſenſim in eundem fere locũ at q3 gradũ cũ dõmo ſuo euexit, at q3 collocauit.*

Vt (*inquit*) pro te mihi ministret.] *Hinc verò commonstrat, quòd hac in parte apprimè vtilis domino suo fuisset. Si enim tu (inquit) debes mihi ministrâre, & hoc iste tuum officium diligentèr expleuit atq; præstitit: res ergò ad hunc modũ gesta, in tuum imprimis commodum atq; vtilitatem cessit.*

In vinculis Euangelij.] *Quæ vincula pertuli Euangelij caussa.*

Sed absque tua sententia.] *Hoc mirandum in modum illum deliniuit atque placauit, quòd rem adeò illi necessariam, absq; eius voluntate atq; sententia non fecisset.* Nè velut ex necessitate.] *Non dixit, Ex necessitate, sed, Velut ex necessitate: quasi diceret: Satis mihi præuisum atq; perspectum fuit, si illum apud me, ignaro te, nec opinante, detinuissem, hac in re minimè tibi certo scio displicuissem: sed nè tu (inquit) istud ex quadam velutì necessitate factũ esse existimares, tale quiddam committere nullo modo volui.*

15 Nam propterea forsitan secessit ad tempus, vt æternum eum reciperes:

16 Non

16 Non iam vt ſeruum, ſed ſupra ſeruum, nempè fratrem dilectũ, maximè mihi, quantò autem magis tibi, & in carne, & in Domino.
17 Si igitur me habes conſortem, ſuſcipe illum tanquam me.
18 Quòd ſi quid læſit te, aut debet, hoc mihi imputato.

Cùm Oneſimus nequam improbaquè mente percitus, in fugam ſeſe coniecisſet, eò tamen adducit Philemonem Paulus, vt bifariàm ea de re cenſeat atq; cogitet: quaſi diceret, Forſitàn diuina quadã prouidentia atq; diſpenſatione profugiebat.

Propterea ſeceſsit.] *Honeſtiori vocabulo, fugam, ſeceſſionem vocat, nè commemoratione fugæ irritaret & exaſperaret dominum Philemonem. Tùm tempus ipſum coarctat, & in exiguum angustumq; cõcludit, vt vel eo modo iram eius molliret atq; ſedaret. Vel ad horam anni dicit, vt æternum eũ ſuſciperes, nempè reciperes.* Sed ſupra ſeruũ.] *Vides quòd ad multas res vtilis erat hæc fuga? Pro vnius horæ fuga, habes eum æternum.* (Hora

enim vna æſtimanda erat illa fuga, præ æternitate.) Et pro ſeruo nequam ac inutili, frugi atq; commodum fratrem recepiſti.

Quanto autem magìs tibi.] *Tùm, in mundanis miniſterijs, quod eſt in carne: tùm in rebus ſpiritualibus, quod eſt in Domino.*

Si igitur me habes conſortem.] *Hoc eſt, Si mecum ad vnum idem ſentis, atq; cupis, ſuſcipe illum velutì me. Eximia certè dicti magnitudo.*

Quod ſi quid læſit te, *(inquit)* vel debet, hoc mihi imputato.] *Veriſimile enim erat, eum res illas ſurreptas iampridèm effudiſſe, atqué conſumpſiſſe, ideoqué dicit: Hoc mihi imputato, hoc eſt, Hæc omnia in meis annumera debitis, meam puta debitionem eſſe.*

19 Ego Paulus ſcripſi mea manu, ego dependam, vt nè dicam tibi quod etiam teipſum mihi inſuper debes.

20 Etiam frater, ego te fruar in domino, refocilla mea viſcera in Dõino.

21 Confiſus de obedientia tua, ſcripſi tibi, ſciens, quòd etiã vltra quam dico facturus ſis.

22 Si-

22 Simùl autem etiam prępara mihi hoſpitium: ſpero enim quòd auxilio precũ veſtrarũ donabor vobis. *Cum ſpirituali quadã gratia ſcripſit, quaſi diceret: Ex cautione, quòd ego dependam debitum, cheirographo meo has miſi tibi literas, vt nè dicam tibi, quòd etiam teipſũ mihi inſupèr debes, ne videretur Philemonem iniuria quadam afficere, ſi de fuga ſerui eum deprecaretur, id quod ſi feciſſet, difficilem quendam atq; omnis humanitatis expertem argueret Philemonẽ, oſtendit quòd vehementèr etiam ei confidit: Nõ ſolùm, inquit, facultates tuas omnes, ſed teipſum etiam mihi debes.*

Etiam frater.] *Ab vrbano quodam lepôre res ſerias redit. Etiam (inquit) frater, Quid? Recipe illum. Ego te (inquit) fruar, in rebus pro Chriſto geſtis.* Ego te fruar.] *Hoc eſt, ego mirificum quendam fructum percipiam ex tàm ſingulari tuo, & eximio, in Chriſto officio: libentèr enim te viderem abundantem & affluentem in omnib. ſpiritualibus bonis.* Refocilla mea viſcera.] *Refocilla, inquit, meam ergà te beneuolentiam, per Chriſtũ. Non mihi (inquit)*

hanc gratiam, sed Christo es daturus.

Confidens de obedientia tua.] *Non cum imperio aliquo, aut quasi quadam cũ contumacia vrgens hoc scribo, sed obedientia tua nixus ac confisus. Quodnam ferrum hæc verba non mollirent?*

Sciens quòd etiam vltra quam dico facturus sis.] *Hoc dixit, vt nihil non tentaret, quo, ad recipiendum Onesimum induci impelliq; potuisset. Et si nulla alia ratione, certè ista persuadêri oportuerat, nè opinio ipsa, quæ de illo, apud Paulum, eximia posita ac defixa fuerat, aliqua ex parte læsa esset atq; diminuta.* Simul autem etiam prępara mihi hospitium.] *Non in gratiã Onesimi solùm, inquit, ad te scripsi. Dicere enim nõ immeritò potuisset Philemon, si de rebus suis nihil scripsisset ad eum Paulus, quòd exiguam illius exilemq; curam atq; rationem habuisset: sed propterea etiã scripsi, inquit, vt præpares mihi hospitium. Et hoc modo timorem quendam iniecit Philemoni, si non summa cum beneuolentia susciperet Onesimum, nè cùm illuc veniret Paulus, obaudiens reprehenderetur.*

Auxi-

Auxilio precum veſtrarum.] *Magna precum vis, magna animi Pauli etiam ſummiſſio, quòd eorum preces cupiebat.*

23 Salutat te Epaphras, concaptiuus meus in Chriſto Ieſu,
24 Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adiutores mei,
25 Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum ſpiritu veſtro. Amen.

Epaphras concaptiuus meus.] *Hic a Coloſſenſibus miſſus erat ad Paulum. Manifeſtum etiam eſt à Coloſſenſibus fuiſſe etiam Philemonem. Concaptiuum illum vocat, oſtendens & ſe in ſumma rerum aſperitate poſitum eſſe. Vel, hoc modo: Philemonẽ ad pudorem adigit, ſi Epaphras aſſiduus ad carceres vſq; comes atq; ſocius ſit, ipſe verò non hanc de Oneſimo gratiam ei tribuat, cùm aliter propter Chriſtũ etiam captiuus ſit.*

Ariſtarchus & Demas.] *De iſto ſcripſit ad Timotheum, Demas me reliquit. Hunc Demam aiunt ad mores Græcorum ſeſe contuliſſe, & factum eſſe ſacerdotem*

dotem idôlorum. Atquí si illa ad Timotheum priùs scribebatur epistola, verisimile est, quòd iam respuerat: sin posteriùs, ignauè hic Demas pòst hanc missam epistolam desciuit.

Lucas.] Nouissimus factus est primus: in posteriore enim ad Timotheum ait, Lucas est solus mecum. Adiutores eos vocat, significans, quòd & hi vnà mecum te deprecantur.

FINIS, Deo iuuante, Epistolę ad Philemonem.

Missa fuit ab vrbe Roma, per Onesimum seruum.

¶ Londini, ex Typographia Henrici Middletoni, ANNO. 1577.